GUINIFORTI
BARZII
BERGOMATIS
GASPARINI FILII
PHILIPPI MARIÆ VICECOMITIS
Mediolani Ducis,
ORATORIS, AC DUCALIS VICARII,
ORATIONES, ET EPISTOLÆ.

PARS SECUNDA.

ROMÆ M.DCC.XXIII.
Apud Jo: Mariam Salvioni Typographum Vaticanum
In Archigymnasio Sapientiæ.

Superiorum Permissu.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Ex antiqua effigie in M.S. Codice Bergomi aſservata.

Pelagius Saluiatus del. *Ant. Frez. Sc.*

GUINIFORTI BARZIZII

BERGOMATIS

ORATIO *

IN SPONSALIBUS PHILIPPI BONROMEI.

Ideo, magnifici Domini, ſpectabiles Cives, & egregii viri, ſumma cum alacritate ad ſponſalia hæc contrahenda vos conveniſſe: de quibus cum Oratio à me haberi debeat, vereor, ne ſi pro rei dignitate pauca, & minus accuratè dixero, temerè, aut arroganter hoc dicendi munus adiiſſe videar; veſtrumque illud, quod, ut planè intelligo, de me aliquando feciſtis, honeſtiſſimum judicium hac re hodierno die non mediocriter imminutum ſentiam. Quamobrem hoc primum etiam, atque etiam quæſo, exiſtimetis, non ea me voluntate ad orandum acceſſiſſe, ut ambitiosè, quas tenues, & exiguas eſſe profiteor, ingenii vires oſtentem; ſed partim eorum auctoritate, quorum imperiis obtemperare ſoleo, impulſum fuiſſe; partim af-

* Hanc Orationem, quam Mediolani habuit Barzizius anno 1430. edidit C. V. Muratorius Tom. 2. anecdot. pag. 231. Hic autem pag. 242. refert conſuetudinem ea tempeſtate vigentem, qua eloquentiſſimo viro poſt peractam Orationem coram primoribus Urbis, conſanguineis, & affinibus matrimonii contrahendi provincia demandabatur.

fectu proprio, qui ſemper in eorum laude verſatus libentiſſimè ſum, de quibus ſermonem hîc fieri cauſa poſtulat. Quod ſi minus copiosè res tanta, quanta eſt, à me abſolvetur, veſtra hîc valeat prudentia, viri ſpectatiſſimi, veſtra humanitas: ut cum facilè perceperitis eam eſſe præſentis actus amplitudinem, cui vix ulla dicendi facultas par inveniri poſſit; tunc mihi ſuccenſendum nihil putetis, ſi etiam, cum multa dixero, plura ſilenti o præteriiſſe videbor. Dicendum quidem eſſe intelligo tum de matrimonialis contractus nobilitate, ac præſtantia, tum de utriuſque contrahentium claritate, & originis gloria: quorum utrum vix mente pertracto, immenſum ſe quiddam offert, quod non dicam oratione proſequi, ſed ne cogitatione quidem ipſa complecti me poſſe confido. Atque ut à primo incipiam, nonne divini, atque humani juris codices uſque à Mundi creatione diligenter evolvendi erunt; ſi & hujus Sacramenti inſtitutionem, ac dignitatem cognoſcere, & utilitates, quas per omnia tempora humano generi ſinè intermiſſione attulit, inveſtigare, & privilegia, quæ multa promeruit, ſingula exquirere voluerimus. Sacris nempe literis edocemur, non humano conſilio in hac miſeriarum valle, ſed rerum omnium conditoris Dei manu in Paradiſo deliciarum: cum cætera à ſe creata in pulcherrimam formam redegiſſet, ut in ſervitium homini ſubjecta eſſent, hominem autem ipſum ad laudem, & gloriam ſuam de limo terræ formaſſet; edocemur, inquam, ex hominis ipſius latere ab initio ſæculorum eductam Hevam non per internuncium, ſed veritatis ſuæ verbo ſociam illi ad ſobolis propagationem, ad communionem vitæ, ad ſolatium adjunctam, & conjugatam fuiſſe; tantamque poſtea pro conjugii fide ſervanda curam Deum geſſiſſe, ut eos corporali morte cum ſumma infamia, & perpetua, cum intolerabili cruciatu affici voluerit, qui alieno thoro ſe immiſcere præſumpſerint. Apud omnes verò populos, qui ratione ulla gubernarentur, frequentatum eſſe conjugium, fidem nobis faciunt non ſolùm ſcripta ſanctorum hominum, quæ veritatem undique redolent, verùm etiam Poëtarum carmina: qui tametſi aliis in rebus velamine mendacii plura contexerint, hoc tamen unum temerare auſi non ſunt; immo id ratum videntes, innumerabilia ferè conjugia philoſophando confixe-

fixerunt. Idem quoque hiſtoriarum libri, cautiones legum, & omnium, qui in ſermonem de hujuſmodi re inciderunt, ſententiæ vel planè decantant, vel indubiè ſignificant. Ita nobis palam fit, nullum ſive dixerim inter homines vinculum, ſive divinum Sacramentum vetuſtate nobilius, Auctoris majeſtate celſius, loci, in quo primum inſtitutum fuit, eminentiâ clarius, frequentatione celebrius, aut firmius, obſervantiâ denique generalius hoc uno à divina providentia vel innexum nobis, vel traditum eſſe. Commoditates verò, quas ad univerſi generis conſervationem, ad animarum ſalutem, ad tranquillitatem mentis, cordiſque lætitiam, ad corporum ſoſpitatem, laborumque ſolatium, ad fortunæ bona, pacem, amicitias affinitates, honores, divitias, tum univerſum ipſum genus humanum, tum ſingulæ quæque Nationes, tum ſingulariſſimi homines innumeras penè conſequantur, non eſt mei propoſiti enumerare; primum quia longam nimis exigunt orationem, nec ſatis omnia colligi poſſunt; dehinc quod expers ego conjugii multa ex fide, aut conjecturâ dicturus apud vos eſſem: qui non ſolùm pro veſtra prudentia multo apertiùs ea intelligitis, quàm ego; ſed etiam ab experientia, quæ rerum magiſtra nuncupatur, penè omnes certiùs tenetis. Suadet quoque hæc ratio, ut jura ſpecialia matrimonii causâ inducta, quæ per juris corpus diffuſa latè patent, explicare negligam; non parvo enim egent ſtudio, ſi unum in locum redigi debent; & ea præſertim ratione commemoraturus illa fuiſſem, quæ & ſignum manifeſtiſſimum utilitatis hujus ab totius Orbis rectoribus optimè intellectæ, & nobile de ipſa per eos promulgatum judicium palam factura eſſent. Itaque his, atque aliis prætermiſſis, quæ in matrimonii laudem adduci poſſent, ad ornatiſſimum adoleſcentem Philippum, & ad modeſtiſſimam virginem Franciſcam, inter quos ſponſalia aguntur, convertetur oratio mea. Quorum ætas florida, & decens forma cum ad conjugium aptiſſimè conveniant, tum & cætera, quæ in vita humana deſiderari ſolent, bona, ſpem optimam præbent, hanc ſocietatem unanimem inter eos, ac ſummè tranquillam, parentibus verò, propinquis, & amicis jucundiſſimam, denique & Principi, atque univerſæ patriæ probatam ſemper, ac fructuoſam

ſam fore. Atque ut reliqua omittam, aſpicite quæſo, ampliſſimi viri, effigiem horum, atque indolem, & quid ſecum afferat, animo conſiderate. Nonne duo quaſi virtutis ſimulacra vobis repræſentat? nonne ſuaviſſimam civilium morum fragrantiam ſpirat? nonne pulcherrimam prolem, ſuiſque majoribus dignam pollicetur? Hujus tam ingenuæ indolis non fallacia ſigna eſſe confirmat eruditio, ac ſumma in his adoleſcentibus honeſtiſſimè per omnem ætatem inſtituendis parentum vigilantia. Genitura autem, & à claris majoribus ducta origo, quantum in liberis momentum habeat, quantam vim, ſæpe videmus. Num igitur judicium de his nobiliſſimum facere dubitabimus: qui etiam antequam gignerentur, nonniſi excellenti ingenio, præſtantique natura procreari poſſe videbantur? Ex Vicecomitibus quidem innocentiſſima hæc virgo Franciſca utroque parente nata eſt: quorum genus cum altius repetitis annalibus, primum à Trojanis, dehinc ab Albanis Regibus proceſſiſſe dicatur: tum illud in aperto eſt, plures Illuſtriſſimos Principes, magnumque inſignium Procerum numerum ſuperiore hoc tempore tuliſſe; nunc verò ſereniſſimo iſto ſydere, in cujus lumine ambulamus, Philippo Maria Excellentiſſimo Duce, non modo Italiam illuſtrare, verum etiam ſplendorem ſuum ad quaſcunque tranſalpinas, ſive tranſmarinas, ſive Jeſu Chriſti Redemptoris noſtri charactere inſignitas, ſive barbaras, & quantumvis remotiſſimas Nationes tranſmittere: de quo plura dicerem, ſi & temporis, quod anguſtum datur, ratio id permitteret; & ego ad immenſam hanc rem tranſigendam viribus meis ſatis confiderem. Hac Vicecomitum progenie, quæ ad Cœli ſimilitudinem, varium in ſe ornatum, ſed omnem juxta ſuum eſſe pulcherrimum continet, oriunda novitia noſtra gloriari præterea poteſt, patrem ſibi eſſe Lancellottum magni animi virum: cujus ut fortitudo, atque prudentia difficillimis in rebus egregia eſſe dignoſcitur, ita & manſuetudo, liberalitas, magnificentia ſe ſpectabilem præbet; fides autem, & in Principem noſtrum invictiſſimum devotio integra Celſitudini ſuæ probatiſſimum eum, & chariſſimum facit. Quid de Philippo adoleſcente patricio dicam? qui ex gemina domo, avitâ ſcilicet Vitalianorum, & paternâ Bonromeorum veram legitimè trahens originem,

originem, præcipuum ab utraque nobilitatis ornamentum ſuſcipit. Vitalianos enim Padua Urbs celeberrima inſignes variis dignitatum eximiis titulis per multa jam ſæcula, & primarios habet. Nominarem hoc loco impavidum militem, atque fortiſſimum, in rebus adhuc humanis agentem, avi quondam tui, Philippe, fratrem, nonnulloſque alios, de quorum ſtrenuitate, & magnificentia recens extat memoria. Commemorarem affinitates, quas cum illuſtribus Marchionibus Eſtenſibus, quas cum aliis ampliſſimis familiis Vitalianum hoc genus aliquando contraxit. Dicerem & aliud excelſum quoddam in illius generis laude, quod adoleſcens ego eâdem illa in Urbe didici; ſed cum de Philippo filio dicturus ſim, prohibet Vitaliani patris conſpectus præſens: cujus ut rectè facta omnia laudem cumulatiſſimè pariunt, ita & aures ab omni laude, maximè quæ ambitioſa cuiquam videri poſſit, vehementer abhorrent. Bonromeos autem magnos olim Hetruria, & potentes novit; hac verò ætate Orbis nulla eſt pars, quæ non eos ſpectatos habeat. Nam cum ſuperioribus ſæculis opulentiſſimæ Terræ Sancti Miniati Principatum cum ſubjacentibus ſibi munitiſſimis oppidis tenuiſſent, non ſolùm dehinc per omnes Italiæ florentiſſimas Civitates, ſed ad exteras quoque Nationes per Europam, ultra Alpes, ultra Pyrenæos montes, ultra Oceanum, in Africam quoque, & in Aſiam ſuum latiſſimè nomen extenderunt. Clariſſimum ergo utrunque genus Philippe, crebrò ad memoriam revoca; & ſtude (quod te ſtudere gaudeo) majorum tuorum gloriam, quanquam ſplendidiſſima eſt, cum laude, vel ſuperexcellere, vel adæquare. In primis autem ante oculos patrem tuum Vitalianum Bonromeum virum integerrimum conſtitue, ſemperque in eum intentus eſto, ut ſuam virtutem conſequare. Neminem enim reperio, quem te ſequi magis deceat; ab eo namque rerum omnium in civili vita occurrentium modum perdiſces: in eo quid diligentia pariat, quid frugalitas ſervet, quid liberalitas, quid magnificentia effundat, perſpicies. Ex eo, qua moderatione appetendi pro dignitate honores ampliſſimi, qua facilitate ultro oblati pro Republica non ſpernendi, qua fide, quo ſtudio adminiſtrandi ſint, certiſſimam doctrinam hauries. Ipſe te docebit, qua religione in Deum, qua

devotione in Principem, qua charitate in patriam, pietate in parentes, benevolentiâ in proximos, & amicos esse: quàm submissè ad superiores, quàm comiter ad pares, quàm mansuetè ad inferiores, quàm benignè ad omnes, atque beneficè te habere debeas. Cujus monitis si obtemperabis, tum ad œconomica, seu privata negotia, tum ad publica impigre, quoties adeunda erunt, ac prudenter accedes; omnemque ita compones vitam, ut nihil amplius secundum civiles mores desiderare quisquam in te valeat. Sed eò redeo, unde oratio divertisse videtur. Tam claris parentibus, tantisque majoribus geniti adolescentes nostri: quibus neque mores decentissimi, aut honestissimæ disciplinæ desunt, & ea, quæ vel natura dare, vel fortuna concedere potest, virtutis, ac beatæ vitæ adminicula copiosè affluunt: certissimum, quantum humana conditio ferre potest, regia sua indole nobis indicium ferunt, conjugium hoc jucundum, utile, sanctum, ac felix ad Dei laudem futurum. Quare, Cives nobilissimi, congratulemur omnes (id quod certè fit) tum adolescentibus his, quorum merita in sui dilectionem allicere quemcunque debeut, tum eorum parentibus magnificis viris; Deumque Patrem Omnipotentem precemur, ut qui affinitatis hujus auctor, atque omnis boni dator est, solidum hoc gaudium, stabile, ac perpetuum esse concedat. Verum, quoniam hoc percipi non potest, nisi voluntatum invicem sponsione, ac veluti quodam voto præcedente, ad stipulationis ego verba in Jesu Christi Dei, ac Mariæ Filij Domini nostri nomine, Spiritu Sancto gratiam suam infundente, accedam; eam verò, ut res ipsa postulat, plebejo sermone depromam.

GUINI-

GUINIFORTI BARZIZII BERGOMATIS ORATIO*

IN SPONSALIBUS JOANNIS DE FEDERICIS.

QUæ duo commoda, Magnifici Domini, ſpectabiles viri, voſque ò Cives clariſſimi, ſolet unius alicujus actus frequentatio pleriſque afferre, ut illi & majori fiducia in adeundo negotio, & uberiori in tranſigendo facultate ſint; horum ego neutrum, quanquam ſæpe in dicendo verſatus, hodierno die invaleſcere in me ſentio. Id autem eò minus admiror accidere, quò accuratius, & earum, quæ in ſermonem venerunt, rerum præſtantiam conſidero, & meam indignitatem ipſe dijudico. Neque enim eâ ſum innocentiâ, ut dignum me putem, qui ſæpius divina inſtituta per os meum aſſumam; neque auctoritate, aut eloquentiâ tantâ, ut ſolus inter magnos Duces, tacentibus cunctis, loqui debeam. Itaque voluntatem eorum ſecutus, quibus repugnari fas non duco, ſi ab hoc orationis genere non prorſus abſtineo, vos pro veſtra humanitate etiam, atque etiam exoratos velim: ne me arrogantiæ accuſetis, atque ut veniam concedatis, ſi & pauca pro rerum magnitudine, & minus eleganter pro ſplendore perſonarum dixero. Convenimus quidem huc loci, Patres graviſſimi, ut conjugium inter generoſum virum Joannem de Federicis, & nobiliſſimam virginem Eliſabeth Angoſſolam celebremus. Quorum ſi laudes, non dicam ornare, ſed vel ſtrictim narrare voluero; vereor, ne pro temporis anguſtiis, quibus arctamur, nimius in ſermone, atque ineptus fuiſſe videar. Nam ut ſponſæ genus attingam primum, quis Angoſſolæ domus claritatem paucis verbis vel mediocriter explicare poterit? quæ cùm ſpectabilium militum, aliorumque Primatum copia, opibus, potentiâ, jam pluribus ſæculis in Placentia Urbe ſplendeat, tum etiam in tota hac noſtra ciſalpina Gallia inter primas habetur. Si

* Hanc quoque Oration Mediolani habuit Barzizius eodem anno 1430. vel 1431. ineunte, ut ex MS. Cod. Bergom.

enim omnia, quamvis breviter, complectenda fuerint, ſinguli quidem erunt præſtantes viri, ipſorumque præclara opera ſingula recitanda. Erunt opulenta quæque, ac munitiſſima numeranda oppida, in quibus hæreditario jure merum habent, ac mixtum imperium: erunt affinitates commemorandæ, quas primarias non ſolùm cum ſuis civibus, ſed etiam cum exteris contraxerunt: quarum certè rerum ſeriem vix volumen quidem, ut opinor, capiet. Sponſæ autem noſtræ, ſi vel naturæ, vel animi dotes prædicandas aſſumpſero, id nempe mihi ſuave dictu, vobis auditu jucundiſſimum fore non dubito: veruntamen impune, ut arbitror, ſuperſedere ab hac parte licebit, quòd ipſa ſponſa eſt præſens, cujus elegantiſſima indoles modeſtiam nobis, cæteraſque virtutes muliere dignas repræſentat, & eam in Urbe noſtra, Deo protegente, vitam actura eſt, ut planè de ſe judicium apud omnes quàm decentiſſimum excitatura ſit. Quòd ſi ad virum ornatiſſimum Joannem ſponſum mea ſe convertet oratio, difficiliùs equidem futurum video, modum in dicendo, & exitum, quàm principium invenire. Non enim ignoro, quàm latè vetuſtiſſimum Federicorum genus nobilitatem ſuam extenderit, quod in famoſa illa Valle Camonica diutiſſimè claruit: quod finitimæ Urbes celeberrimæ, Bergomum videlicet, & Brixia pari gloriæ cupiditate invicem quaſi ſuum eſſe contendunt: quod ſplendidiſſimæ affinitates innumeræ per univerſam ferè Provinciam latiſſimè excipiunt. Neque tam rerum imperitus ſum, ut me lateat, quàm inclitâ virorum præſtantium, inſignium Doctorum, ſtrenuorum militum, denique & Comitum magnificorum, tum antiquâ, tum præſenti memoriâ, quàmque multis dignitatum privilegiis niteat. Fide verò quantâ floreat, ne longè procedamus, ante oculos conſtitutum habemus. Adſunt enim qui pro illibata, quam ſemper etiam, turbulentiſſimis temporibus, erga Illuſtriſſimum Principem noſtrum ſervaverunt, fide, nuper extrema penè ſalutis, ac propè deſperata ſubire pericula, maximaſque opes, ac Terrarum dominia, quæ à ſuis majoribus accepta nunquam ſibi eripi antea paſſi fuerant, non dubitaverunt omnino deſerere: ne hoſtibus parerent, à quibus ad multa longè à ſua in Principem devotione abhorrentia impelli potuiſſent. Adeſt quoque vir magni-

magnificus Todeſchinus Ducalis Camerarius, ſponſi pater: quem iſta ipſa, de qua loquimur, fides, politicis multis comitata virtutibus eò provexit, ut non ſolum magnas Status ſui partes ſapientiſſimus Princeps noſter rectè ſibi committi poſſe judicaverit; verùm etiam corpus ſuum, in quo tot Populorum ſalus, tot externarum Gentium quies recumbit, ſecurè in manus ſuas conjecerit. Meum de hoc ampliſſimo viro ſermonem latè extenderem, ſingulaſque ipſius laudes perſequerer; ſed earum magnitudo me abſterret, quarum tantus eſt ſplendor, ut parem ſibi nullam orationem inventurus ſim: tanta copia, ut ad eas explicandas defectura ſit dies. Facilè quoque illas prætereo, quod & probè omnes perſpectæ ſunt vobis, & ego aſſentationis crimen effugere, quàm orationis copioſæ laudem quærere malo. Hac inſigni, & generoſa Federicorum progenie, hoc magno Todeſchino patre ortus Joannes minimè ſilentio prætermittendus eſſet: quem ſpectata ſupra ætatem ſuam prudentia, quem ſingularis in parentes veneratio, & quaſi religio, quem manſuetudo, atque modeſtia, & Principi commendat, & populo charum, jucundumque reddit. Sed nec mihi dicendi facultas ad omnia ſufficit, & jam veſpertina, quæ appropinquat, hora me admonet, ut deſinam quæ vobis nota ſunt, prolixius prædicare; unumque illud depromam tandem, cujus gratia hîc frequentes ſumus. Nam cùm apud clariſſimos parentes ſuos Placentiæ deſponſata per procuratorem fuerit ſponſa noſtra, Joanne circa Principis negotia occupato; expectatis nunc omnes, ut invicem ipſi duo propria ſe voce deſpondeant, manuque dilectiſſimi ſui ſponſi in ipſius domum tranſlata virgo Eliſabeth matrimonialibus iterum ornetur inſignibus. Itaque, ut & veſtris deſideriis, & horum duorum votis ſatisfaciam, Domino Noſtro Jeſu Chriſto, Dei, & Mariæ Virginis Filio invocato, ad ſtipulationis verba deſcendam.

GUI-

GUINIFORTI BARZIZII
BERGOMATIS
AD PHILIPPUM MARIAM
Vicecomitem Mediolani Ducem.

SUPPLEX LIBELLUS.

Deſiderantur nonnulla.

..... accepti eſſe mereantur. Illi verò, quos priùs commemoraveram, nullo certo conſilio freti, pulcherrimas diſciplinas ſibi conquirunt; non quidem illas, ut obſequentes filios decet, in patris patriæ ornamentum afferre cupientes, ſed quaſi mercenarii quidam plus offerenti operas ſuas locaturi. Hos itaque, tuæ felicitatis participes fieri cùm video, nihil eſt, quod de tua in me largitate diffidam: qui mihi ipſi meæ in te devotionis, ac ſinceræ fidei conſcius ſum. Nunc verò, ut ad ſummam illam omnium virtutum, quæ Regiæ nuncupantur, accedam, clementiam ſcilicet; adeò te cunctis admirabilem in ea præbuiſti, ut jam non amplius veluti habitus quidam accedat animo, ſed quaſi membrum animæ, & eſſentiæ tuæ pars meritò judicari poſſit. Nam ſi, ut à Philoſophis tum Stoicæ, tum & Peripateticæ Scholæ definitum comperio: quò circa magis difficilia virtus operatur, eò cæteris dignior, præſtantiorque habetur: eminentiſſimum certè hujuſce virtutis aſylum conſcendiſſe te affirmare non dubito. Quod ſi, & argumento, & exemplo tenemus, nihil homini difficilius eſſe, quàm ſeipſum vincere, nullamque perturbationem, vel majori violentia mentem invadere, vel occupatam efficacius ſubjugare, quàm ſi damno patiter, atque injuriâ ab his afficiamur, quibus noſtra potiſſimum ſalus curæ debeat eſſe; quid nos prohibet, fortiſſime Princeps, quin ſummam te victoriam, ſummumque triumphum aſſecutum palàm dicamus? Sæpe enim, cùm atrociſſimos hoſtes in tui poteſtatem eventus belli redegiſſet, &

ſet; & quidem eos, qui ſuſceptorum ex domo tua beneficiorum, non tam immemores, quàm ingrati ſuam omnem operam in tuo Statu ſubvertendo quandoque adhibuiſſent; illos à tua pietate non ſolùm vitâ, libertate, conjugibus, liberis, potentiâ, dignitate, fortunis denique omnibus, verùm etiam ſplendidiſſimis tuis muneribus donatos patriæ ſuæ reſtituiſti. Quo uno facto ipſam quoque victoriam naturâ inſolentem, ac ſuperbam placabilitate viciſſe, & lenitudine tua domuiſſe videris. Iracundiam autem conſilii, & modeſtiæ inimicam ita comprimis: ut, cum à ſummo Deo vitæ, ac necis noſtræ poteſtas in manu tua poſita ſit, nunquam tamen liberrimo hoc tuo arbitrio ad ſupplicia contumacibus infligenda, irâ commotus abutaris; ac humanum ſanguinem, rem apud te pretioſiſſimam, niſi explorata perditiſſimorum ingenia teneas, ſumma cum diligentia cuſtodias. Moderatione verò animi tanta es præditus, ut hanc neque ingratiſſimorum hominum facinora, neque infidelium ſeditiones avellere à te virtutem poſſint: ipſa etiam oſtentandæ potentiæ incontinens quædam cupiditas, atque immanis gloria: quæ Principum mentes ſæpe occupat, diroſque, ac truces in ſuos reddit: minimè illam tibi furripere valeat. Quid eſt, quod ſuper deſiderare velimus? Crediſne aliud quidpiam reſtare? Multa profectò. Cætera prætereo; unum illud proſequar, quod ſi deſit, ea omnia, quæ ſuperiùs enumeravi, tametſi maxima ſint, non tamen ex vero, nitidoque virtutis fonte proficiſci, verùm potiùs ſimulata, & ad tempus non longum proceſſura judicantur. Idipſum ejuſmodi eſt, ut cùm facilis in ignoſcendo fueris, tum etiam in miſerendo ſolicitus exiſtas; longè enim, ac latè clementiæ vis, ac ſplendor patet; nec ſuum tantummodo in eos vigorem exercet, qui ob crimen aliquod plectendi fuerint; atqui etiam his ſuccurrit, qui, dum culpâ carent, non mediocri infortunio laborant. Videor mihi, Princeps invictiſſime, imaginem quandam hujus virtutis effinxiſſe, duas ſibi fabricando manus, pro dextera ſcilicet, cui plus virium ineſt, indulgentiam in remittenda pœna liberalem; pro læva autem, quæ magis eſt cordi propinqua, miſericordiam ſuo beneficio ærumnas, calamitateſque omnes ab infelici propulſantem. Neque

que verò Stoicis in hac parte verebor esse contrarius; nam ii sapientem posse vel ignoscere, vel misereri negant: cùm tamen illas sibi operationes concedant, quibus misericordem quempiam, aut placabilem dicimus; hanc enim verborum tantum, non rerum controversiam esse inspicio; eaque ratione minus æquè illos sentire, quod non rerum gratia verba esse adinventa, sed res ipsas verbis potiùs, quæ tanta subtilitate intuentur, deservire volunt. At ego contra sapientis nomen ex Stoici agri sterilitate in fertiliorem transferens fundum, illorum culturam imitandam puto: qui sapientiæ munus non ideo sapientem perdere dicunt, quia aut alienis affligatur incommodis, aut largiori in danda venia, quàm rigor ipse admoneat, licentiâ utatur. Sed ad id redeo, unde oratio mea divertit. Audeo, Princeps humanissime, affirmare uberrimum te ex hac ipsa clementia, quam ita studiosè in omni sui parte excoluisti, fructum reportasse. Ea enim cæteros Principes, Reges, Imperatores, quorum generosa facta perpetuis literarum monumentis sunt tradita, universis ætatis suæ Gentibus, atque omni posteritati commendabiles reddidit; te verò nostro huic sæculo commendabilem, ac eò plus admirabilem effecit; &, ut planè confido, si qui aderunt, qui tuas res gestas, tuasque animi dotes, literis ex affectu scitè, & eleganter sint mandaturi, prædicabilem te in omne ævum exhibebit. Quod, si cæteras divinas virtutes tuas cogitatione pertracto, inauditam nempe in te uno excellentiam, atque immensam animadverto. Sed mihi quidem non ego ipsas, te audiente, prosequendas desumpsi; tum quod nulla tanta est dicendi affluentia, quæ se illarum copiæ, ac magnitudini æquare possit; tum quod non id meæ fidei convenire, neque tuæ Celsitudini gratum fore existimo. Extat enim sapientissimum quoddam, atque insolitâ modestiâ refertum Imperatoris Pescennii responsum, cum fortè aliquis præsentem eum laudare vellet, in hæc verba: Scribe, inquit, laudes Marii, vel Annibalis, aut alicujus Ducis optimi vitâ functi, & dic quid ille fecerit, ut eum nos imitemur; nam viventes laudare irrisio est, maximè Imperatores, à quibus speratur, quod timetur: qui publicè præstare possunt, quod negare, quod præscribere. Denique illud subjunxit, se vivum placere velle, mortuum

tuum laudari : præclara quippe, atque Imperatore digna ſententia. Hujus ego voce prænonitus, & à cœptis deſiſto, & in plurimis, quæ ſe mihi dicenda offerebant, loquendi libertatem præcido. Nihil autem à me dictum eſt, in quod non impulſus neceſſitate quadam fuerim; nam cùm ad ſcribendum tuæ Majeſtati mea me calamitas cogeret, licitum mihi fore intellexi, eas omnes tibi rationes explicare, quibus non me temerarium, ſed tui obſervantiſſimum eſſe intelligeres: quæ ſi in tua laude verſantur, non eſt, quod in aſſentationis crimen conferas, ſed totum gloriæ tuæ attribuas, cujus amplitudo infinita nullam in partem ſermonem meum converti patitur, quin tuas innumerabiles virtutes objiciat, tantaque vi, ac multitudine me obſideat: ut ſi nonnullas earum reticere decrevero, cæteræ in medium prorumpant, neque illarum prædicationem effugere valeam. Itaque, Princeps feliciſſime; ſi te in conferendis beneficiis munificentiſſimum: ſi in frequentandis muneribus ſtudioſiſſimum; ſi in exornando patre meo diligentiſſimum: ſi in cæteros, qui nobilem aliquam diſciplinam profitentur, gratioſiſſimum: ſi in devictos hoſtes clementiſſimum: ſi in negligentes ſubditos mitiſſimum: ſi denique in afflictos, eos præſertim, qui non ſui erroris culpa, ſed caſu quodam, & iniquitate fortunæ, tantis malis obvoluti ſunt, piiſſimum cognovi; nulla me cauſa debuit remorari, quin ego ejus filius: quem tu in vita ſingulariter amaſti: ego non earum rerum, quæ in homine ingenuo deſiderari ſolent, omnino expers: ego ex ea familia ortus, in qua non modò nullus unquam tuæ Majeſtatis contemptor inventus eſt; ſed plurimi quidem, qui pro tui Status inſtauratione, ac firmamento fortunas prædæ, agros depopulationi, domos incendio, arces ruinæ, liberos captivitati ſubjicere, ſuumque ſanguinem effundere, atque ipſam animam exhalare non dubitaverunt: ego, neſcio quo fato, maximis penè adverſitatibus concuſſus, quin ad te, Princeps mitiſſime, calamitatem meam expoſiturus, tuumque ſubſidium imploraturus concurrerem, nulla, inquam, me cauſa debuit remorari. In te, Princeps potentiſſime, omnia & vitæ noſtræ ornamenta, & ſalutis adminicula poſita ſunt: tu nos paternæ virtutis imitatores ſuccurrendo, tu degeneres negligendo reddere po-

tes; id enim futurum eſt: ut ſi qua nobis induſtriâ, multis quæſita ſudoribus, ineſt, otio diuturno marceſcat; peracuta quoque illa parvulorum fratrum ingenia, quæ ſuaviſſimum, ut ſpero, fructum allatura ſunt, inculta prorſus, atque inania jaceant; niſi tu, Pater piiſſime, ex iis nos procellis eduxeris, atque in tuæ gratiæ portum receperis. Nullum in tuo florentiſſimo Regno expectamus ſubſidium, ſi tua nos Celſitudo ſpreverit. Terminos tuos nimius in te amor excedere nos non patitur. Non defuiſſet alibi lucrum cum honore conjunctum, ſi aliena loca petere voluiſſem; ſed mihi multò jucundior eſt in umbra tui nominis paupertas, quàm maximæ opes gratæ extra fines tuos eſſe poſſint. Admonet igitur me devitandi otii deſiderium; impellit ſtudiorum jactura: cogit inſtruendorum fratrum, ac multæ familiæ ſuſtentandæ imminens mihi neceſſitas: ut ego ſervus, mandato tuo non expectato, tuæ me ultrò proferam Majeſtati, & quidquid mihi ipſe confido, non ambitione ductus, ſed meo in te officio, atque obſervantiâ patefaciam. Non equidem, Princeps ſapientiſſime, is ſum, qui tuæ liberalitatis dona ad alendam ignaviam cupiam; verùm & ad tenera pupillorum ingenia pretiosè inſerenda, & ad noſtra exercenda, id ſummis votis efflagito; nobis enim duobus ætate maturis (ut etiam pro fratre * abſente loquar) ad quamcunque rem, militari duntaxat exercitio ſemoto, uſus fueris, neque fidem, neque diligentiam, neque aptitudinem unquam deeſſe intelliges. Quanquam autem non minori ad unam rem, quàm ad aliam confidentia ſimus, diverſa tamen nos deſideria tenent; frater enim prudentiâ, gravitate, conſilio, ac multâ experientiâ, humanitatis denique artibus, & Juris civilis ſcientia non ignobiliter præditus, his curis animum potiùs applicaret, quæ majus quoddam in ſe pondus, ac publicam adminiſtrationem continent. Ego verò tum paterna religione, tum & Optimatum hujuſce Urbis impulſu, ad ea me potiſſimum ſtudia conferrem: quæ genitor meus Orator clariſſimus deperdita penè ſolertiâ ſuâ exſuſcitavit non ſolùm, ſed etiam auxit, atque illuſtravit. Hoc ipſa genitoris mei memoria: hoc mea in te reverentia: hoc

* Et at hic Joannes Auguſtinus.

hoc civium tuorum una vox ; hoc tandem illa tot victoriis tuis, ac triumphis parta gloria , ut benignè concedas, expoſcunt, inſtant , precantur . Nihil eſt enim , quod celebriorem Gaſparini tui apud poſteros famam reddere poſſit , quàm ſi facultatem hanc oratoriam , quaſi jure quodam hæreditario, in ipſius liberos tranſire volueris . Nihil eſt , quo digniorem tibi ſervitutem impendere poſſim, quàm hoc uno multis fructuoſo legendi exercitio. Nihil eſt , quod Mediolanenſes tui concordi affectione pro filiorum ſuorum utilitate magis appetant , quàm me ipſum huic doctrinæ à tua felicitate præfici . Nihil denique eſt , quod magis tuam gloriam immortalem efficere poſſit , quàm præſtantium in Urbe tua Oratorum copia . Neque verò , Princeps magnificentiſſime, ſatis huic rei per te conſultum putes , quòd totam hanc provinciam Magiſtro Antonio Rhaudenſi homini eloquentiſſimo, ac Theologo inſigni commiſeris ; nam hujuſce artis tanta eſt, tamque immenſa magnitudo , ut quemadmodum in publicis gymnaſiis ſingulæ diſciplinæ pluribus magiſtris , ac doctoribus gaudent : ita etiam hæc una præceptorum quidem multitudinem nunquam abhorreat, ſolo autem uno rarò contenta ſit . Quamobrem , Dux clementiſſime , tuam depreçor Majeſtatem , ut moleſtias meas iſto ipſo gratiæ tuæ dono, tibi, ut opinor , minimè gravi , at mihi ſummè jucundo , & ſalubri , ſublevare dignêris, meque in parentis mei ſedem conſtituere . Quod ſi feceris , maximas tibi laudes ego pariter , & tota hæc Ducalis Urbs geſtiemus ; ſin verò neque hoc , neque alio me tuæ beneficentiæ præſidio dignum judicaveris , nulla tamen poterit fortunæ vis eſſe, quæ devotiſſimum animum meum à tui nominis cultu alienet. Quidquid autem de me tua ſtatuerit Celſitudo, vel miſerum , vel felicem eſſe volueris , id pro tuo jure feceris; tuus etenim ſervus ego ſum , tuæque ſapientiæ admirator , ac prædicator ero ſemper. Vale Princeps, quem non aliter inter cæteros omnes ſingularem judico , quàm phœnix inter aves , ab his , qui de natura conſcripſerunt , ſingulari præſtantia excellere perhibetur . Ex Gaſpariniana olim Bibliotheca Duodecimo Calend. Martii 1431.

GUINIFORTI BARZIZII BERGOMATIS ORATIO*

IN INSTAURATIONE STUDIORUM MEDIOLANI HABITA.

EXpectabam eum diem, ſtudioſiſſimi Juvenes, ac fratres optimi, quo Principis noſtri Sereniſſimi auctoritate publicam ſedem conſcendere mihi liceret; eaque ratione, tardius fortè, quàm veſtris ingeniis conveniret, communi bonorum omnium civium deſiderio ſatisfaciendum putavi. Nunc verò: cum neque ullam ex Principe noſtro ſententiam in hodiernum uſque diem ſuſceperimus, & novæ quotidie nobilium ſuaſiones ad me perferantur, plurimorumque adoleſcentium ingenia ad hæc humanitatis ſtudia olim promptiſſima jam tepeſcere intelligam; video tempus illud à me amplius non opperiendum: quanquam id non procul abeſſe firmiſſimis indiciis comprehendo. Unum autem vos hortor, oroque: ut quemadmodum ſola me utilitatis veſtræ ratio impulit, ut hoc non leve docendi munus, non præmio ullo, non pollicitationibus allectus ſubirem; ita quoque & vos omne ſtudium, omnemque diligentiam in iſta ipſa nobiliſſima diſciplina perdiſcenda adhibeatis. Equidem nullum devitabo laborem, nullas vigilias pertimeſcam; ſi (quod planè confido) quantâ ego in vobis inſtruendis ſolertiâ ero, tantâ & vos in me audiendo attentione concurretis. Erit autem illud à me in his domeſticis lectionibus diligenter obſervandum, ut non ſolùm nihil ſupervacuum dicatur; ſed & omne id, quod ad rem faciat, diffusè pertractetur. Non enim devoranda, ſed diu maſticanda ſunt ea, quæ princeps noſter Cicero, vel in arte præcepta conſcripſit, vel alia in cauſa divinitus à ſe perorata, literis mandavit; ſi & qua ratione ars ipſa nos in ſcribendo expolitos efficere poſſit, cognoſcere volumus; & quo ſtylo in ſuis clariſſimis Orationibus

* Hanc brevem Orationem ad Juvenes Mediolanenſes habuit Guiniforius anno 1431.

tionibus artem ipſam eandem ille dux noſter ſecutus fuerit, concupiſcimus. Dabo verò operam, ut quas graviſſimus olim præceptor veſter Gaſparinus pater meus plurimas in hac facultate illuſtres ſententias poſt ſe reliquit, fideliter, integrêque patefaciam. Qua una ex re talem, ut ſpero, fructum reportabitis, qualem haud ſcio, an cujuſquam alterius præceptoris induſtria ſit ſtudiis veſtris allatura. Sed ad rem accedo: ne tempus, quod tandem optatum attigimus, minimè neceſſariis ſermonibus conteram.

GUINIFORTI BARZIZII BERGOMATIS

ORATIO*

IN INSTAURATIONE STUDIORUM NOVARIÆ HABITA.

MUlta ſunt, Reverendiſſime Pater, Clariſſime Prætor, inſignes Viri, voſque fratres optimi, quæ me cohortabantur, ut hoc legendi munus omninò devitarem: quorum omnium duo illa potiſſimum in hanc me ſententiam trahebant, quod neque in me tantum ingenii adeſſe videbam, ut rerum, de quibus ſermo futurus eſſet, amplitudini reſpondere; neque tantum eruditionis, aut eloquentiæ, ut veſtræ de me expectationi ſatisfacere poſſem. Quid enim unquam ab his Philoſophis, quos olim Græcia præſtantiſſimos tulit, de inſtituenda vita, de moribus, de virtute traditum fuit, quod non princeps noſter Cicero exquiſitiſſimo quodam ordine, ac ſumma brevitate eo in libro complexus ſit, quem de officiis graviter, & copiosè conſcripſit? Quis verò poteſt vel Orator, vel Poëta inveniri, qui ſe Terentio in effingendis animi perturbationibus, variiſque hominum ſtudiis explicandis, valeat ſinè temeritatis ignominia comparare? Admirabilis enim quædam, ac penè incomprehenſibilis res comperietur,

* Eodem anno 1431. Octavo Idus Julii hanc Orationem Novariæ habitam à Guiniforto comperimus ex MS. Cod. Mediolanenſi.

tur, quæ in suis illis facundissimis comœdiis abdita, atque obstrusa latet; si retia nostra intendere ad eam expiscandam voluerimus. In quo illos errare non modicum audebo dicere, qui se ad verborum concinnitatem, fabulæque jucunditatem conferentes, quæ aures leniant, scire concupiscunt; in his autem, quæ animum informare, atque implere possint, mirâ negligentiâ versantur. Dicerem & censorium illud hominum genus plurimum falli, qui Terentianas lectiones severè improbant: nisi apertè intelligerem, id eos magis considerare, quod ab omnibus ferè observatur, quam quod servari dignius videatur. Quare, Viri ornatissimi, ita de hoc comico nostro sentio, ut eorum diligentiam minimè laudem, qui ad ejus studium sola cognoscendæ fabulæ cupiditate accedunt: illos verò non modò non absterrendos, verum ultro exhortandos putem: qui in id intenti sunt, ut divinam suam in dicendo elegantiam imitentur, diversasque hominum naturas, senum gravitatem, parsimoniam, austeritatem, juvenum lasciviam, prodigalitatem, incontinentiam, servorum figmenta, ac dolos, lenonum astutias, meretricum artes, innumerabilesque alias morum varietates subtiliter investigent: quibus agnitis, & rectum vitæ modum habituri, & omnia suo instituto adversantia constanter superaturi sint. Itaque, Pater humanissime, admirari debet nemo, si gravem hanc, & ponderosam provinciam, ad quam incitatus à plurimis fui, multos dies quasi scopulum quendam effugere volui. Nam quis ego sum, aut quæ in me auctoritas, quod ingenium, quæ industria, ut apud doctissimos homines de rebus arduis, atque excelsis: ea præsertim ætate, qua neque rerum multarum experientiam, neque plurium disciplinarum notitiam tenere liceat: publicè docere præsumam? Quid verò eximiam illam mentibus vestris, nescio quo pacto, de me insculptam existimationem commemorabo: quam quidem tantam esse planè dispicio, ut eam posse meritis attingere desperem penitùs. Sed vestra, Patres, ac Viri literatissimi, in me charitas, meaque in vos benevolentia tantum valuit, ut malim inscitiam meam palàm facere, & ab optima illa opinione excidere, quàm voluntati, ac desideriis vestris non obtemperare. Statui ergo, privata ratione posthabita, rejectisque his studiis, in quibus magis oblectari soleo, ad ea me conferre,

fore, quæ & vobis gratiora, & temporibus his convenientiora fore animadverti. Illud autem pro veſtra modeſtia concedi velim: ut cum magnam ineptiarum mearum partem mihi imputaveritis, memineritis etiam, hoc me onus non tam mea ſponte, quàm veſtro impulſu ſubiiſſe, rerumque cum pulcherrimarum, tum & difficillimarum expoſitionem deſumpſiſſe. Id quoniam mihi jam tribui omnium conſenſu intelligo, convertam orationem meam ad iſta ipſa, quæ vos attentione ſumma expectare videmini; eritque prima cura in his adhibenda, quæ ſummus Orator Cicero ſummo ingenio ex mediis Philoſophiæ fontibus hauſit, & admirabili ſua eloquentia de Officiis divinitus diſſeruit. Ejus libri titulum primo loco explicabimus, dehinc ad reliqua tranſeundum erit.

GUINIFORTI BARZIZII BERGOMATIS

ORATIO

AD SERENISSIMUM PRINCIPEM ALPHONSUM ARAGONIÆ,

Siciliæ, Valentiæ, Sardiniæ, Balearium, Corſicæ Regem.

Habita in Civitate Barcinonis 1432. *die* 14. *menſis Martii.*

CONſtitueram primùm, Sereniſſime Princeps, & Rex fortiſſime, quæ in tuam Majeſtatem mea eſſet devotio, literis declarare, eaque ratione binas variis temporibus dederam generoſo, & ſtrenuo militi Hugoni de Villafranca Oratori tuo; ſed quoniam tardior multo fuit ſuus ad tuam Serenitatem reditus, quàm putaverat, Sacratiſſimo Imperatore à ſe illum non citiùs abſolvente, non potuit meus jam nominis tui ſplendore inflammatus animus diutius expectare. Experiebar enim moleſtias illas, quæ homines cupidos affligere ſolent; & quidem eò vehementiores experiebar, quò novas huic, quam affectabam, rei, quotidie

tidie moras inferi animadvertebam. Itaque, invictissime Rex, milite hoc clarissimo diu expectatum iter tandem instruente, constanter quoque illud per me adeundum existimavi. Judicabam equidem non parvum neque amantis, neque parati ad amandum animi esse indicium ea sequi nolle, ad quæ amor impellit: nisi prius se amari cognoverit. Memineram vulgo apud omnes dici solere; tenuem ex eo amoris conjecturam assumi, quod quis sine suo incommodo facit. Non ignorabam eum, qui se Principis alicujus servum asserit, firma pro se argumenta, dilucidas probationes, magna testimonia habere oportere: propterea quod Principum gratiam, qui multa conferre possunt, facilè omnes affectamus. Sequutus ergo sum eximiæ hujus meæ devotionis imperium: qui patriæ fines egressus, atque in remota loca prolapsus, ad te usque proprio corpore, non scripturâ, quasi exploratore quodam præcedente, accessi. Plura ob eam rem incommoda subivi, qui suavissimos fratres, matrem (sic enim eam appellare decrevi) amicos, notos omnes, patriam denique ipsam deserui: qui jucundissima literarum studia multos dies intermisi: qui ab otio ad laborem, à quiete ad peregrinationem, à securitate ad multa itinerum pericula, mea sponte, nulla necessitate cogente, libens transitum feci. Argumenta verò, probationes, testimonia deditissimi tibi animi mei: tametsi nonnulla ex his, quæ nunc commemoravi, hauriantur: haud tamen scio, an certius ullum, aut firmius eo adduci valeat, quod experientia præstare potest. Non enim longè absum, qui me Celsitudini tuæ subditum profiteor. Statue, injunge, impera: intelliget tua Majestas, à qua nullum non rectum, laudabileve imperium procedere solet: tantum studium in tuis mandatis exequendis me ponere, quantum vel ingenium, atque industria mea, vel corporis robur, ac firmitas patietur. At verò, Princeps Illustrissime; si te fortassis admiratio aliqua tenet, unde hæc me hominem alienigenam veneratio tanta invaserit; illud quæso, atque obsecro, ut & mirari hoc desinas, & me ad ejusce rei causam explicandam minimè astringas. Nam cum ea omnis ratio ex præclarissimis tuis virtutibus, quas uno multorum sermone didici, veluti ex abundantissimo quodam fonte oriatur; erit certè res

neque

neque auribus tuis grata, neque meo in te officio digna, ſi te maximum Principem, & Regem potentiſſimum præſentem laudare, ac verbis extollere voluero. Dicam tamen duo hæc nonnihil in me potuiſſe: unum, quod his ſtudiis, ut omnes prædicant, egregiè tua Majeſtas operam dat: in quibus cum Gaſparinus olim pater meus Orator, ac Philoſophus claruerit, ego quoque ætatem meam conſumere opto; alterum, quod tanta in rebus ſive pacis, ſive belli eſt præſtantia tua, taliſque ad ampliorem gloriam extruitur via: ut planè videam, ſi mihi facultas per otium dabitur, eam ad ſcribendum materiam paratam, quod facilè cum Dei adjutorio multa literis mandari poterunt, quæ & hiſtoriam, ac veritatem, non fabulas, aut mendacium ſapiant; & nomini tuo immortalitatem, mihi nobile exercitium, poſteris digniſſimum ad colendam virtutem exemplar ſint paritura. Ad quam rem, ſi mea me cogitata non fallunt, te pro tua ſingulari ſapientia, & virtute benigniſſimum fautorem, adjutoremque ſtudioſiſſimum fore non ambigo. Si enim pro comparanda, immò potius pro tuenda, vel cumulanda gloria graves curas, multos labores, immodicos ſumptus, immenſa pericula ſubire nunquam dubitaſti; quis non te pro illa quoque perpetuanda exquiſitiſſimam diligentiam adhibiturum credet? Id verò ſolis literarum monumentis confici poſſe quis non intelligit? Non Themiſtoclis, non Periclis, non Leonidæ, non Alcibiadis, non Epaminondæ, atque aliorum, qui apud Græcos floruerunt, fortiſſimorum Ducum res geſtæ hac noſtra ætate in memoria haberentur: niſi vetuſtaris fideliſſima obſervatrix hiſtoria nobis illas nunciaret. Alexandri quoque Macedonis, ejus qui magnus appellatus eſt, mirandam in præliis virtutem, & penè incredibiles victorias: Perſarum innumerabilem multitudinem, atque inæſtimabiles opes: Indorum, Ægyptiorum, Aſſyriorum, Scytharum, ac denique barbararum omnium Nationum cruenta bella, & horribiles pugnas nonniſi per hiſtoriam cognovimus. Quid Romanorum triumphos commemorabo? qui tanti fuerunt, ut exterorum omnium claritatem ſuo ſplendore obſcuraverint: nonne Oratorum eloquentiâ, & diuturniorem laudem, & ornamentum non mediocre ſuſceperunt? Romuli Regis, qui primus

Urbem fundavit, cæterorumque Regum, Decii, Bruti, & Collatini, qui libertatem induxerunt: Horatii Coclitis, Mutii Scævolæ, Decii Murænæ, Curii, Dentati, Fabritii, Attilii Reguli, Pauli Æmilii, Fabiorum, Papyriorum, Scipionum, Catonum, Caji Marii, Q. Sertorii, Lucii Luculli, Cn. Pompeji, Caji Cæsaris, universique illius virorum illustrium chori: Octaviani quoque Augusti, ac subsequentium quorundam Imperatorum tum continentia, & integritas, tum constantia, & magnanimitas, tum fortitudo, & probitas, tum varia fortunæ commutatio, & morum diversitas, tum rei militaris scientia, celebrisque ex eorum trophæis, ac victoriis fama, tanta ad nos pervenit, quantam suo ingenio viri doctissimi per literas transmiserunt. Non est incredibile, alios dehinc nonnullos vel Imperatores, aut Reges, vel Principes, aut exercituum Duces magnis à se rebus gestis in admiratione aliquando, prædicationeque extitisse: quorum hodie nullam, rametsi recentiores prioribus fuerint, notitiam tenemus: propterea quod ea facilè temporis cursu deficiunt, atque ex hominum cordibus excidunt, quæ non stylo, sed tantum linguâ rememorantur. Hæc, Princeps clementissime, non ex ratione à me dicuntur, quod vel solum hoc in genere officii meam polliceri operam velim: vel eum me profiteri intendam, qui gloriosè per te gesta ornatè, atque appositè scribere valeam; sed ut intelligas, cum cæteris in rebus tuæ Majestati me ipsum vigilantissimum servum exhibiturus sim; tum etiam in hac una, quæ ad tui laudem posteritati relinquendam spectat, semper intentissimum fore: ut si non eleganti, aut accurata oratione idipsum transigetur, at saltem, quàm minus inculto genere dicendi fieri à me poterit, explicetur. Vereor mitissime Rex, ne fortè ineptus fiam, dum nimium sermonem diffundo. Colligam itaque me ipsum, & paucis, quicquid Majestati tuæ expositurus sum, referabo. Admiratus sæpe antea præstantissimas tuas illas virtutes, quibus inter cæteros Reges, ac Principes singularis non immerito judicaris, decrevi tandem studia omnia mea tibi dedicare. Quamobrem neglectis his conditionibus, quæ mihi nuper intrà proprios lares oblatæ fuerant, meam in tuum hoc Regnum profectionem maturavi. Nunc autem ad Sereniſſimum tuum conſpectum

ſpectum pro tua clementia, quæ ſumma eſt, me admittere dignatus es. Quod munus cum tanti faciam, quanti ab homine tui obſervantiſſimo, cupidiſſimoque fieri æquum eſt, immenſas primum ea re gratias habeo. Animum verò meum, cogitationes, curas, vigilias, ſtudia, fidem illibatam, totum denique me ipſum Sacratiſſimæ tuæ Majeſtati poſt Deum offero, devoveo, conſecro: quem ut tuis beneficiis & ſuſtentare in hoc propoſito, & confirmare digneris, humiliter, & devotiſſimè ſupplico.

GUINIFORTI BARZIZII BERGOMATIS

ORATIO

AD SERENISSIMUM PRINCIPEM JOANNEM REGEM NAVARRÆ.

Habita in Civitate Barcinonis 1432. die 22. Maji.

OPtatiſſimus hic mihi dies illuxit, Rex Sereniſſime, quo ſplendidiſſimum tuum conſpectum intueri, atque ipſo corpore adire liceret: ut qui & alienæ virtutis admirator ſemper extiti, & ineffabili quadam in Sereniſſimum Regem Aragonum, devotione obſtrictus ſum, te ſummæ præſtantiæ, ac virtutis Principem, hujuſque unius Regis, cui me totum conſecravi, fratrem, non ſolùm mente reverear, ſed etiam operâ, atque officio colam. Et quoniam inter vos cum naturæ, tum & animorum conjunctionem eſſe tantam exiſtimo, ut neimo ſatis uni eſſe poſſit, niſi & alteri quoque ſe jugo pari ſubmittat; id à me curandum intelligo, ut non tam mea tuæ Celſitudini ſtudia noviſſimè dedicem, quàm ex eo die, quo me Sacratiſſimo Regi, cujus es frater, expoſui, & tibi dedicata meo iſto ſermone declarem. Judicet, obſecro, tua clementia, Rex benigniſſime, ſuâ me gratiâ non indignum; ſuſcipiatque unum hoc, qualecumque eſt, mu-

mus, quod de me facio: non illud extre, quæ quidem pertenuis est, sed ex mei animi liberalitate, atque exuberantia dimetiens. Ego verò, si non pares eam ob rem tuæ Majestati gratias egero, non inferiores certè facultate mea rependam.

GUINIFORTI BARZIZII BERGOMATIS ORATIO * IN INSTAURATIONE STUDIORUM MEDIOLANI HABITA.

NEminem vestrum, Patres clarissimi, generosi Viri, vosque juvenes honestarum artium cupidissimi, hodierno die huc loci convenisse intelligo: quem non & voluptas quædam propè singularis, quod ad paternum munus subeundum redierim, & expectatio ingenii mei, ac doctrinæ quasi ornamentum aliquod amplissimæ huic Urbi, atque universæ patriæ allaturus sim, teneat. Mihi verò, quod ad voluptatem spectat (nam id primum sermone prosequar) longè aliter, quàm vobis accideret; si vel honorum ambitio, vel opum cupiditas potiorem apud me, quam ipsa cum necessaria propriæ salutis cura, tum debita in Deum religio, in patriam charitas, in proximos, atque amicos & benevolentia, & pietas locum haberet. Quis enim est: qui si præteritorum temporum meminerit, meque sive fato quodam, sive divina voluntate, non modò ex prospero fortunæ cursu, quo ad altiora provehebar, verùm etiam ex sublimi illo gradu, ad quem Sereniſſimi, cui assistebam, Regis clementia conscenderam, revocatum animadvertat: non facilè acribus molestiis meum agitari oportere animum credat? Aut quis est: qui si innumerabiles curas meas, vigilias, studia, si labores intolerabiles, si extrema penè,

* Habita fuit hæc Oratio à Guiniforto Decimo Sexto Calendas Februarii anno 1435. ut ex MS. Cod. Mediolanensi.

penè; ac prorsus detestabilia navigationum incommoda, si prope desperata sæpius varia terrâ, marique pericula: quæ omnia & intrepido animo adire pro dignitate assequenda, & infracto sustinere pro conservanda, nunquam dubitavi: cognoverit; non plurimum, quod eorum intercidat fructus, dolendum putet? Sed parendum est naturæ legibus, nostrique interitus hora, nisi idonea subsit causa, quamdiu possumus, non solùm insito nobis appetitu quodam, sed etiam recto judicio differenda. Neque enim hæc vulgi vox tantum, sed & maximorum Philosophorum sententia fuit; nam hi dolorem mortis in sapiente admittunt, immo quasi exigunt: ea quidem ratione, quòd multo eo fructu privari, quem afferre tum doctrinâ, tum exemplo solebat: quòd sese ad operationem virtutis, in qua felicitas humana consistit, impotentem corporis, & animæ dissolutione fieri intelligat. Quo sententiæ genere Philosophum illum usum fuisse accepimus: qui die quadam secundis ventis navigans: cùm multa de contemnenda morte graviter, & copiosè tum disseruisset, paulo autem post tempestate orta, periclitanteque navi, expalluisset: nautæ cuidam vilissimo increpanti, quòd à præceptis Philosophiæ, quæ nuper edixerat, aberraret: cùm tamen ipse nauta constanti animo permaneret: in hunc modum respondit: Nihil est quidem, quod te pigeat simul cum vita perdere, qui nihil viro dignum in vita habes; mecum autem omnis pulcherrimarum disciplinarum, ac virtutum chorus, qui hoc pectus inhabitat, istâ horâ periclitatur: quare æquum est, ut si non pro me, saltem pro tam pretioso thesauro solicitus, atque anxius fiam. Hæc ille. Ego verò quanquam ejus non sum temeritatis, ut quod vel Peripateticorum schola in sapiente ad dolorem mortis honestandum exigebat: vel is, quem modò dixi, meritò sibi attribuebat, id ipse mihi arrogare præsumam; tamen cùm nulla sit virtus, quam non quisque studio, & exercitatione assequi possit; nec quisquam desperare debeat, cum se virum futurum, quem aliquando ex media hac luce subtractum multi plangant, vitæ consulendum statui: ne ad hæc ipsa mihi aditus, eâ neglectâ, præcideretur; maluique sinè his, quos adeptus fueram, honoribus salvus esse, quàm una mecum illos amittere. Neque verò similis ea in re-

sum

ſum his, qui naufragio imminenti, pretioſis, quas in mare éjiciunt, mercibus, ut ego, quos relinquo, honoribus ſalutem redimunt. Illi quidem ſola id tempeſtatis vi (quod eſt fortunæ) coacti faciunt: ego (quod tandem poſtremâ ægritudine meâ cognovi) à Deo ſæpius inde avocatus ſum. Illi tanto in diſcrimine poſiti, vix quid agant, intelligunt: ego poſtquam animum ad hoc factum inclinavi, priuſquam ad ipſum accederem, integritati nominis mei, atque honeſtati ſummâ cum diligentia, & ratione providi. Illi ex jactu nullum, præter ſalutis commodum reportant, nemini lætum nuncium ferunt: ego à Divo Cæſare noſtro Philippo Maria non ſolùm ad paternum olim munus nunc aſſumptus, ac proventibus annuis ex publico ærario copioſè donatus, verùm etiam aliis clariſſimis ornamentis amplificatus ſum. Ego patriam, extra quam voluntariè peregrinabar, recepi: qua nihil homini dulcius, nihil eſſe debet charius: patriam, inquam, eam, quam Regionis ſitus, aeris ſalubritas, agrorum fœcunditas, Oppidorum pulchritudo, Urbium fama, hominum ſive in pace, ſive in bello excellens virtus, inter omnia Orbis Regna celeberrimam, ejus autem Principis gloria, cujus imperiis paret, illuſtriſſimam reddit; ego iſti ipſi, quem dico, Principi glorioſiſſimo non ingratam ſervitutem; Senatuique univerſo non injucundum obſequium, quod prius non contumaciter; ut noſtis omnes, ſuſtuleram, libenter reſtituo. Ego optatiſſimis fratribus meis, ac cæteris neceſſariis: ego vobis amicis meis amantiſſimis, his præſertim, quorum & conſilio ad hanc rem motus, & ſolertiâ promotus fui: qui ſuum erga me animum cum multis indiciis ſæpe antea declaraſſent, nunc toti Urbi, ac patriæ notiſſimum reddiderunt, atque in dies reddunt; denique & cunctis, qui me ſalvum eſſe cupiunt, hac ipsâ jacturâ meâ incredibilem, ut planè video, alacritatem attuli. Longè itaque in diverſa cauſa cum ſim ab eo, quem ſupra commemoravi; æquum eſt quoque, ut non eodem animo damnum meum feram, ſed omnem temporis anteacti memoriam, ſalvâ tantummodo acceptorum beneficiorum perpetua recordatione, prorſus ex capite aboleam, omnemque à me triſtitiam propulſem: ut quemadmodum vos læto corde ad me audiendum concurriſtis; ita ego tranquilla

mente

mente hanc legendi provinciam aggrediar. Jam videor, primarii Viri, ex ea parte ad vos inclinare, ut vobiſcum de hoc meo ſucceſſu congaudeam. Sed quid de ſumma illa exiſtimatione, quam de me habetis, quid, inquam, dicam? quid ſentiam? Ego ne adeò mei oblitus ſum, ut eo me ingenio, aut ſapientiâ præditum putem, quibus illam ſuſtinere, ac tueri valeam? minimè, neque enim eâ unquam fui arrogantiâ, ut quidquam laude dignum propriæ virtuti attribuendum crederem; neque ea ingratitudine, ut non ad unum, ac trinum Deum, à quo id datum eſſet, in primis referrem. Quid ergo eſt, quod me conſolatur: cui nec induſtria à natura tributa, nec ars ſtudio quæſita, ſatis adminiculi ſubminiſtrat? Nempe ſola clementiſſimi Dei largitas, à quo honeſta omnia; ſi modò ad congruum finem ordinentur, operaque noſtra pro his aſſequendis adhibeatur; expectanda ſunt. Nec cujuſquam in hoc objecta verebor. Scio quidem non defuturos, qui ſic mihi adverſentur: non ſatis ingenio tuo, Guiniforte, confidis, ſed ſpem in Deo jactam habes: ſi honeſta ſolùm ex Deo ſperare licet, & quidem non ſimpliciter, ſed cum ad rectum finem ordinantur; nihil eſt, quare ſperare debeas, huic te opinioni tantæ ſatisfacere poſſe. Eloquentia enim, cujus doctrinæ præficeris: cum ſæpe homines ad perniciem ſuam, quod de Gracchis, de L. Saturnino, ac pleriſque aliis legimus, ſæpius ad injuſta excitanda bella, ad maximas Reſpublicas ſubvertendas, ſæpiſſimè ad veritatem obtegendam, ad mendacium perſuadendum, ad omne ſcelus audendum erudiat: neque honeſta res eſſe, neque determinatum aliquem bonum finem habere poteſt. Quibus equidem reſponſurus: ut pleriſque in locis à Cicerone, ac cæteris artis Scriptoribus literis mandata præteream: illud unum adducam ſimile, quod de humano intellectu conſpicimus; nemo enim intellectum, vel ſubſtantiam nobiliſſimam eſſe, vel ad perfectionem hominibus datum negat: quo tamen, infinitis modis, ad malum abutimur, dum naturæ ordinem pervertentes, perturbationibus animi ſubjectum eſſe volumus. An ideo quiſquam ita erit amens, ut homini dicat, ſatius eſſe carere intellectu? aut Deum accuſet, quod in homine principaliſſimum eum eſſe voluerit, quod eum immaniſſimâ omni ferâ cru-

deli-

deliorem, cunctiſque malis, quæ accidere poſſunt humano generi, pernicioſiorem, ut ſæpe videmus, efficiat? Nemo certè erit, qui non Dei hoc ſummum donum, ſummèque expetendum fateatur. Quod ſi ita ſe habet, cur de eloquentia non idem judicabimus: quæ ornatiſſima eſt ejus, immo totius animi & nuncia, & miniſtra; voces enim motuum animi ſunt notæ, unumque hunc ſibi potiſſimum finem præſtituit eloquentia: ut, quod re quacunque propoſita, eligendum quiſque judicaverit, appoſitè id, atque accuratè alteri perſuadeat. Si effrænati ſunt motus animi, ſi falſum electionis judicium, maligna fiet & perſuaſio, neque eloquentiæ vitium erit, ſed intellectus. Quare ſi amentiam laudamus, cupiamus & infantiſſimi animantium omnium reperiri. Quod ſi tantoperè intellectum in homine admiramur, ut eo præſtantius nihil à Deo creatum judicemus; certè proximum illi bonum eſſe eloquentiam, neceſſe eſt, concedamus: cujus amplitudo, ac vis omnia, quæ percipi intellectu poſſunt, complectitur, ut nihil eorum tam inextricabile ſit, quod non ipſa cum dignitate quadam explicet, atque in audientium animos imprimat. Obmuteſcat igitur, ſi quis eſt, qui tantum ornamentum ſuis maledictis contaminare velit, ac potius in ſectam noſtram & ipſe conveniat. Nos verò noſtros ab ſuo ſplendore oculos nuſquam deflectamus, nec quidquam ad ipſum aſſequendum prætermittamus. Ego quidem, quò præclarior eſt expectatio veſtra, eò intentiori animo, ac majori ad ejuſce rei ſcmitas detegendas accedo; confidoque Deum nobis & ducem, & auctorem fore. Vos tamen vigilate, ac in eo, ad quem præcingimini, curſu perſeverate. Nihil eſt enim tam obtentu difficile, quod non aſſiduâ diligentiâ comprehendas: nihil tam facile, quod non deſidiâ, etiamſi manibus teneas, elabatur. Non tam vos præſentium meditatio retrahat, quàm nobiliſſimi hujus, quod proponitur, præmii æſtimatio incendat. Moveat utilitatis ratio, moveat & dignitatis. Cæteræ quidem ſive artes, ſive diſciplinæ hominem in ſingulis rebus ſingulæ inſtruunt. Hæc una, quamvis proprium quoddam circa civiles cauſas officium habeat, tamen ad res omnes diſertum facit. Cæteræ tum temporibus, tum locis, tum perſonis limitantur, ut non omni in tem-

tempore, aut loco, aut non apud quoſcumque locum inveniant: hanc nullus eſt, qui rejiciat. Nec vos eloquentiæ perfectæ altitudo in deſperationem adducat, quod tam excelſo loco ſita ſit, ut ad culmen ſuum perveniſſe nemo adhuc reperiatur; multi enim ad eam ſunt gradus, eſtque totis viribus ab unoquoque pro ſua virili enitendum, ut quàm altius poteſt, conſcendat: cùm ſibi perſuadere debeat, quò propiùs ad eam provectus fuerit, eò ſe majorem vim, ac ſplendorem ſuſceprurum. Quod ſi quis forſitan eſt, quem vel tanti boni deſiderium non teneat, vel labor ipſe deterreat; delectet ſaltem ejus ſoli, per quod currendum eſt, & pulchritudo, & ubertas; arte enim, & exercitatione (modo ipſa non repugnet natura) ad eloquentiam pervenitur: quorum alterum dilucidis præceptis conſtat, ut nullâ duritie, aut aſperitate abſterreri debeamus: alterum verò, tum in lectione, tum in ſcriptura, aut oratione conſiſtit; atque horum utrunque ejuſmodi eſt, ut quiſquis ei ſe accommodet, illum quàm maximè & delectet, & juvet. Lepos enim verborum, concinnitas orationum, verſutia ſermonum, ſales, facetiæ, ſententiarum gravitas, rerum cum præſentium, tum & multis antea ſæculis geſtarum narratio: quibus omnibus rebus & Oratorum libri ſunt reperti, & nos in dicendo quotidie uti contingit: dici vix poteſt, quantum in ſe oblectationis habent. At verò, cum virorum illuſtrium fortiter, magnificè, clementer, juſtè, ſapienter dicta, aut facta: cum rationes conſiliorum ſuorum, cum apparatus, maturationes, varios eventus rerum legimus: cum eorum laudes ad Cœlum extolli, atque immortalitati conſecrari, ſceleratorum hominum facinora improbari, execrabiliaque à ſummis Oratoribus reddi cernimus: nonne magnum in modum & honeſtiores in vita, & in agibilibus prudentiores efficimur? Neminem itaque, tametſi ad attingendam eloquentiæ metam laborare non velit, tædeat in tam fertilibus agris, atque amœnis divagari. Ne quis tamen Philoſophiæ cognitionem his non neceſſariam eſſe exiſtimet, qui oratoriam facultatem conſequi optant: propterea quod ipſius Philoſophiæ fructum ex Oratorum libris colligant; illud omne etiam admonebo, maximum operæ pretium eſſe, ut non minus Philoſophorum, quàm Rhetorum præceptis

ſtudium impendamus: cum hi certam vivendi normam, quam ex Oratoribus ſinè certa ratione haurimus, determinatâ quadam regulâ nobis præſcribant. Ac mihi quidem, cum intellectui noſtro eloquentia deſerviat: qui ſi perverſus fuerit, eâ quaſi veneno quodam ad corrumpendas hominum mentes abutitur: à nemine ad oratoriam diſciplinam accedendum videtur, niſi vel prius ad virtutem ſe conformaverit, vel ſimul cum dicendi arte vivendi rationem addiſcat. Quo uno conſilio Principem noſtrum, ac Ducem permotum fuiſſe arbitror, cum ad nobilem hanc exercitationem me adſcribens, Philoſophorum ſententias Rhetoricæ doctrinæ conſociari à me volut. Sed vix tandem intelligo, Patres ampliſſimi, quàm imprudens ſim: qui verba de hiſce rebus apud vos facio, ex quorum numero plurimi, cum integritate vitæ clari, tum & ſapientiâ, & auctoritate graviſſimi habentur. Nemo autem eſt, qui non ita de his ſtudiis ſentiat, ut faces potius ad me inflammandum attuliſſe, quàm exhortationes à me ullas expectare videatur. Statuam igitur huic ſermoni finem; neque ad ea convertam, quæ jam dudum ſub ſilentio exigitis. Primam autem diligentiam: ne unum prædicare, alterum ſequi dicar: in explicandis his Philoſophiæ præceptis conſumam, quæ ſuis epiſtolis Philoſophus Seneca Lucilio tradidit. Reliquum temporis Cicero ſibi pro ſuo jure vindicabit, à quo non ſolùm optimam dicendi rationem, verùm etiam pulcherrima eloquentiæ ſuæ monumenta, in quibus exerceamur, niſi nobis ipſis deeſſe volumus, copioſè accipiemus. Audiamus itaque nunc, quid ad Lucilium Seneca ſcribat: *ita fac mi Lucili*.

GUI-

GUINIFORTI BARZIZII BERGOMATIS

ORATIO AD SUMMUM PONTIFICEM EUGENIUM IV.

QUod apud tuam Sanctitatem orandi munus, Beatiſſime Pater, ad me defert gravis, & integerrimus vir collega meus: id quamquam ipſe fuerit commodiſſimè impleturus, qui Philippi Mariæ Vicecomitis Ducis Illuſtriſſimi, à quo profecti ſumus, à ſecretis, & optimam ejus mentem, & ſanctiſſima novit ſtudia: tamen ne vel tuam clementiam, quæ ſe facilem ad me audiendum præbet, aſpernari videar, vel tam nobilem facultatem ſummum te Dei Sacerdotem alloquendi præteream, ad me delatum officium non invitus adibo. Eam autem ſequar in dicendo rationem, quam & ejus Principis, qui nos miſit, in te obſervantia, & mea non ambitioſiſſima natura exigit, nec tua ſingularis humanitas indignam ſua majeſtate judicabit. Non enim in orationis exordio altius repetendo, non in accurata diſpoſitione rerum dicendarum, non in amplificandis illis, atque illuſtrandis tum verborum, tum ſententiarum quodam quaſi lumine occupatus ero. Hæc & alia in hunc modum plurima iis relinquenda exiſtimo, qui vel ingenii ſibi laudem quærunt, vel audientium aures demulcere ſtudent magis, quàm ex animo ipſi, atque ex re loquuntur. Purus erit, & ſimplex, veritatis, ac fidei plenus ſermo meus; ſatiſque à me factum putabo, ſi quæ ad noſtri adventus cauſam pertinent, breviter explicabo. Tuam ſanctam Majeſtatem Beatiſſime Pater, nos Mediolanenſium Ducis Philippi Mariæ deditiſſimi tibi filii, vicem gerentes, veneramur, & colimus, eumque tuæ Sanctitati & commendamus, & dedimus. Vix credibile eſt, quantam pro Eccleſia Dei curam ſuſceperit: quantum in iis providendis, quæ ad tranquillitatem,

amplitudinem, ad immortalem gloriam tuam ſpectent (quod nondum ei per difficillima bella agere ſatis licuit) ſtudium adhibeat. Animadvertit quidem Principis Dei cultoris eſſe proprium; ſi conſilio valeat, ſi auctoritate, ſi gratiâ, ſi potentiâ; cogitare non ſe iis bonis à Deo donatum, ut in cujuſquam perniciem pro ſua libidine abuta tur: non ut tanquam demortua penes ſe, ac otioſa reſidere ſinat, ſed ut ea ſe Deo ipſi debere meminerit, ſuumque officium pro ejus honore, pro Eccleſiæ commodis felicius impleat. Quamobrem cùm verum Paſtorem, ſummumque Pontificem, & palàm confiteatur, & conſtanter agnoſcat qui ſupra humanum omnem ſtatum, dignitatemque emineas: qui ſummâ in rebus ſacris poteſtate fungaris: qui Filii Dei ſedem in terris obtineas: te unum animo impreſſum gerit, in te cogitationes ſuas confert, de te ſolicitus eſt, proque tua tranquillitate invigilat maximè. Ad hoc eum cum & publici boni, & omnis honeſta ratio movet, tum excelſa præſentia tua incitat, atque inflammat. Perſuadet enim ipſe ſibi eâ te moderatione eſſe, ut cum ſubditam habeas omnem in peregrinatione viventem animam: cum populis imperes, Regna diſtribuas, non te ad dominatum tantum, ſed ad miniſterium præfectum judices: eâ prudentiâ, ut primum animarum ſaluti, poſt ſubditorum tibi populorum quieti, & incolumitati conſulendum eſſe, poſtremum cæterarum, quas poſſideas, caducarum, atque fragilium rerum curam haberi oportere intelligas. Eâ in tibi commiſſum gregem charitate, ut non corruptibiles tantum opes, ſed & animam (nam ad Euangeliſtæ accedam verba) pro tuis ovibus, ſi neceſſitas exigat, ſis poſiturus. Meminit quanta in hoc tuo Pontificatu geſſeris, quibus omnes, qui te multis ſæculis anteceſſerunt, planè ſolus exſuperas. Quot populi, quot Regna, quot Gentes, linguæ, Nationes, quæ à Sanctæ Matris Eccleſiæ ſinu diu ſubtractæ in ſchiſmatico errore conſenuerant, tuâ, quæ à Spiritu Sancto eſt, ſapientiâ, reſipuerint. Videt, quod jam de tua Sanctitate vulgatum clariſſimâ ubique famâ percrebruit, nec tibi tantis perfectis rebus præternittere integrum eſt: miro te ab Turcarum tyrannide, incendiis, rapinis, incurſionibus, omni denique vel leviſſimo metu liberandæ Europæ deſiderio teneri. Quod, ut

eximiâ

eximiâ laude dignum eſt, ita ad communem tutelam neceſſarium videtur. Inde ad alia tranſiturum non dubitat, eamque unam, quæ tunc reliqua erit, nomini Chriſtiano, ſive contumeliam dixerim, ſive ignominiam potius, abolituram ſperat: qui ſacratiſſima ea loca è barbarorum manibus eripienda ſtatues, & ab illorum fœdiſſimâ contaminatione expurganda, quæ Dei filius homo factus, ſuo ſanguine pro generis humani ſalute conſecravit. Tantarum itaque rerum cogitatione, ac ſpe, animique tui excellentiâ, admiratione digniſſimâ permotus, atque in tui obſervantiam, & cultum vehementer incenſus, voluntatis, ac ſtudii ſui profeſſionem, ut apud Sanctitatem tuam his maximè temporibus faciamus, tuus nos miſit obſequentiſſimus filius Philippus Maria Mediolanenſium Princeps. Is & alia quædam nobis in mandatis dedit: quæ quoniam ex eo genere ſunt, ut ſecretiorem ad ſe exponenda locum deſiderare videantur, eam opportunitatem, Clementia tua, ut nobis concedat, orantes petimus, atque obſecramus. Confidimus digna judicabis, Sanctiſſime Pater, in quæ mentem, animumque intendas, conſenſumque tuum, & Apoſtolicæ Sedis auctoritatem pro Eccleſiæ tranquillitate adhibeas.

GUINIFORTI BARZIZII BERGOMATIS

ORATIO

AD JOANNEM JACOBUM PALEOLOGUM

Montisferrati Marchionem

In morte ejus filiæ Medeæ Reginæ Cypri.

SI pro jacturæ, quam nuper cognoviſti, magnitudine, aut pro amoris in filios vehementia dolendum eſſet tibi, Marchio Illuſtris; non ſatis intelligerem, quibus rationibus tuus vel abſtergi luctus, vel leniri dolor poſſit. Mitiſſimus enim in omnes Princeps, in tuos verò incredibili pietate pater, filiam ſummo educa-

educatam ſtudio, ac virtutibus iis ornatam, quæ Reginam illuſtraturæ fuerant, ea ætate amiſiſti, qua jucunditatem ex ea ſuaviſſimam capiebas: eo nuncio extinctam audiſti, quo regium tibi neporem concepiſſe auditurum te ſperare potueras. Ita & omnia anteacta ſtudia, quæ in filiam collata fuerant, cum ea ſimul interiiſſe videntur; & nobiliſſimus tibi, Regum ſcilicet nepotum præreptus eſt fructus, & quod præcordia intimè penetrat, dilectiſſimâ filiâ Pater amantiſſimus orbatus es. Sed cùm ad robur animi tui cogitationes refero, cùm tuam in Deum religionem, cùm in rebus humanis prudentiam recogito: non difficilem mihi ad conſolandum viam eſſe intelligo. Neque enim humanos caſus non longè antea prævidiſſe te ſuſpicor: præſertim cùm in remotiſſimam Regionem multùm poſt ſe relictura maris mittenda filia fuit, regii conſors futura thori; * neque vereor, ne vel naturæ legibus parere, quas nullius ſexus, nullius ætatis, nullius fortunæ homines evadunt, pertinaciter recuſes: vel divinæ voluntati, quæ in nihil non bonum fertur, invitus acquieſcas. Eâ verò te animi fortitudine præditum non ignoro, quæ nullo etiam præcedente conſilio, nullâ perſuaſione adhibitâ, ipſa ſuo conatu vulnus, quamvis profundum, ſinè magna doloris ſignificatione perferre poſſit. Non itaque rationes exquirendæ à me ſunt, quæ ad molliſſimam etiam leniendam matrem valeant. Non eſt commemorandum, quàm multi, qui vel communem hanc ſibi jacturam ſentiunt, vel damna tua, quo in te animo ſunt, quaſi propria exiſtimant, caſu hoc tuo mœreant: ut eorum quò majorem eſſe memineris numerum, eò minus ferendum hoc pondus judices. Non adducenda ſunt eorum exempla, qui vel animo inflexo mortem ſibi chariſſimorum audiverunt, vel brevi ſe à lacrymis temperarunt. Non repetendi narratione caſus varii, qui è ſummâ tranquillitate in procellas turbulentiſſimas,

* Anno 1432. tertio Calendas Junii obiit Janus Cypri Rex, cui ſucceſſit Joannes Secundus Jani filius: hic autem deſponſavit Medeam filiam Joannis Jacobi Paleologi Montisferrati Marchionis, quæ poſt duos menſes interiit Henric. Giblet ſuppr. ſto nomine Franc. Loredan. *Iſor. de Rè Luſignani lib. 9. c 10*

Hanc autem Orationem conſcripſit Guinifortus decimo nono Calend. Febr. anno 1441.

mas, è ſublimi ſtatu in miſerabilem ruinam, è ſplendida felicitate in calamitatem fœdiſſimam ſæpe Reges, & ſuperioribus ſæculis, & patrum, noſtrâque memoriâ traxerunt. Quare bene actum cum filia tua dicamus, quæ in Regni ſui poſſeſſionem inducta: cum nihil in eo non feſtivum, nihil non magnificum adhuc vidiſſet: omnibus fortunæ minis ſubtracta eſt, quæ virum ſuum Regem illuſtriſſimum tunc reliquit: cum & elegantiâ morum, & honeſtiſſimâ conjugalis vitæ conſuetudine irretitus, ejus amore flagrantiſſimè æſtuaret. Quæ populos diademati ſubditos tunc deſeruit, cum ejus admiratione quàm maximè tenerentur: quæ antequam eximias de ipſa laudes Adriatici maris, atque Ionii tractus, ac littora: antequam Ægæi tot celeberrimæ Inſulæ, atque Gentes: antequam Regno ſuo circumjacentes Aſiæ Regiones (quod plerunque temporis lapſu accidere ſolet) conticeſcerent, è medio ſublata eſt: ut inextinguibile in Regis animo deſiderium ejus, ut amor perennis, ac veneratio in omni Cypro, ut clariſſimum de illa præconium cum in Europa, tum in Aſia remanſiſſe videatur. Neque ex ipſo Cœlo, in quo ſempiternâ illâm beatitudine frui credimus, filiæ tuæ anima revocanda, ac tibi ad conſolationem adhibenda eſt, quæ te his alloquatur verbis. Noli te macerare, dulciſſime pater: abdica luctum: ejice mœrorem omnem: ſatis à te ſanctiſſimæ pietati factum fuit, humanitati indultum ſatis, cùm ad primum de meo tranſitu nuncium lacrymis exitum non negaſti. Jam verò dato ad cogitandum ſpatio, gratulare mihi potius, quæ poſt humanam propè ſummam felicitatem, in tuto nunc me inter Beatos cerno. Te mihi patrem Marchionem illuſtrem, matrem mihi Principum matronarum exemplar, ac decus, ingentis & ſpei, & virtutis fratres, ſororem inclito Salutiarum Marchioni conjugatam, avunculum eâ exiſtimatione, gravitate, ſapientiâ Antiſtitem: ut nullus ſit tantus honos, nulla tanta dignitas, nullum tantum culmen, ad quod non meritò vocari potuiſſe videatur: conſobrinos, quorum natu major illuſtriſſimus Allobrogum Dux: conſobrinas, alteram Mediolanenſis Ducis illius, cujus & ſapientiæ ſplendor latè diffunditur, & potentia nulli mortalium cedit; conjugem alteram ejus, qui ad ſucceſſionem Regni Siciliæ vocabatur,

tur, Ludovici intempestivâ morte viduam: cui Deus quanta paraverit, quicumque inaccessibilem inhabitamus lucem, planè perspicimus: consanguineos alto gradu, etiam ex longinquis Nationibus, magnoque intervallo distantibus, multos ille mihi unus bonorum omnium dator Deus in fragili vita esse voluit. Denique Serenissimi Regis, te suæ voluntatis interprete, matrimonio me copulavit, ejus mihi insolitâ quadam, atque inauditâ charitate devinxit: Regnum subjecit, populos non subditos solum, verùm & omnes, quorum mea navigatione maria perambulavi, in mei laudem, atque amorem compulit. Tot, inquam, & tanta fortunæ munera mihi Rex Regum Deus contulit, ut eis perfuncta egregiè, nullius penè humanæ jucunditatis expers, ab eo magnificè in supremum Regnum traducerer, quo me nulla corruptio, nullus dolor, nulla turbatio, nullum incommodum attingere posset. Cogita ergo, mi suavissime pater, si tibi detur optio: utrum in peregrinationem undique periculosam, & ubique impedimentorum plenam ad vos rejici dilectissimam tibi filiam: an stabili Regno potiri malles. Quod si, & tuus in me incredibilis amor, & eximia sapientia tua perpetuam mihi sinè ulla offensione beatitudinem optabit potius, quàm rursus in incertam reditum; cur ejusce rei necessitate impositâ, non infracto illam tu animo, nec infracto solùm, sed æquo, atque inturbato, immò læto, ac jucundo feres? Consolare itaque te ipse, Pater, & omnem tristitiam depone: induere hilaritatem, tuique omnes, jube, ut mea felicitate gaudeant: diem mihi non funeris, sed nuptiarum, quas nulla unquam viduitas subsequetur, solemnem celebrent. In primis autem mitissimam, quæ me peperit; quæ disciplinis muliebribus erudivit, quæ tecum una summo studio, & assiduâ vigilantiâ virtutibus iis instruxit, quæ Deo dignam redderent, matrem consolare; & ob ea, quam sibi firmasse videtur, perpetui luctus sententia, tu qua es apud eam, & auctoritate, & gratiâ, revoca. Id quæso effice, ut cum nihil ad solidam mihi felicitatem desit, etiam æquitas animi, & gratulatio vestra, tum & unanimis cum Deo vester sinè contradictione consensus accedat. Hæc, & alia meliora dicturam ad nos revocandam ex ipso Cœlo animam filiæ tuæ putarem, illustris Princeps: humanarum vicis-

vicissitudines, ac mutationes rerum commemorarem: constantissimorum inter adversa Principum exempla repeterem: quot, & qui sint, qui filiæ tuæ mortem lugeant, mala omnia, quæ viventi illi accidere potuissent, bona, quæ obitu consecutam eam sperare non irreligiosè licet, describerem: magno studio prosequerer quicquid ad animum vel enervatissimum, & colligendum, & confirmandum proficere solet, nisi apud magnanimum Principem, & præclarâ erectum mente res ageretur: cujus excellentiæ nonnihil detraxisse videbor, si lapsus in consolationis aliquod genus fuero, quod dolori succumbere te ulla ex parte significet. Itaque aliâ, quò volumus, arduâ quidem, nec omnibus, sed magnis tantum viris perviâ tenendum est viâ. Acerrimas dolendi causas impetum in te feciſſe planè confiteor; filiam enim tuam unicè dilexisti, meritò quidem propter ejus & morum, & ingenii suavitatem: illustrissimo eam Regi connubio devinxeras: Reges tibi nepotes, qui in Oriente clarissimi haberentur, propagaturam sperabas: ejus celeberrimâ virtutum famâ tuum per Asiam vulgari nomen, quod in Europa illustre habetur, non parum audiebas. Has in irritum cogitationes, hæc in luctum gaudia recidisse, quis non tibi permolestum credit? Te verâ ætate, ac medio adolescentiæ flore, inter adhuc ardentes nuptiales tædas, ad supremæ diei funera deventum esse, quis non patri vix tolerabile paterni affectus non penitus expers judicabit? Vehementissima hæc quidem, quamvis inhumanus, ac ferus, negabit nemo, & quæ animum quemque vel prosternere, vel agitare possint: verùm hujusce modi sunt, ad quæ tua Celsitudo respicere non horreat, in quæ virtus nervos intendat suos, quæ sibi sapientia subigat, tractet, transformet, atque in melius vertat. Ad hanc animi amplitudinem, atque præstantiam, à qua nimirum dolore te nonnihil dimotum piè credo, revocandus es, huic tradendus, & commendandus, non mollibus demulcendus verbis; fortiora namque te audire decet: à quo verò illa potius, quàm à te ipso petas, adduco neminem. Nam, si ad consuetam animi tui fortitudinem, excellentiamque respexeris, aditum jam tibi ad patientiam apertum invenies: qui angelicæ conspectu filiæ, non ad breve tempus, sed cum perpetuam fore absentiam videres, pa-

ter amantiſſimus carere, illam in Cyprum uſque mittens, didiciſti. Indecorum quoque, & te indignum judicabis ad remittendum filiæ deſiderium, temporis, quod etiam debilibus ſubvenire diuturnitate ſolet, beneficium expectare. Quare magnitudine animi utendum intelliges: quæ vel ſola, nullo ad conſolationem adminiculo ſuccurrente, ipſa ſuis viribus adverſus quæcumque dura conſiſtere, ac ea fortiter ferendo ſe vincere poſſe veriſſimè profitebitur. Quod ſi tuam in conſilium ſapientiam vocaveris, ab illa fortitudinis aſperitate ad remedia humaniora te ducet. Docebit enim non pertinaciter ea deſiderari oportere, ad quæ in vanum ſuſpirandum ſit. Docebit non trahi fatis ſapientem, ſed duci, nec divinæ voluntati, etiamſi id permittatur, velle reſiſtere. Docebit te ad frequentandam filiæ memoriam ita inſtituti oportere: ut quod jucundiſſimum antea fuerat, de illa ſæpe loqui: ſæpius cogitare, nunc eâ demortuâ ſine triſtitia repetatur: ne ſi mœrori diutius indulſeris, eum refugiente naturâ, in oblivionem tandem res tibi dilectiſſima delabatur; & præterea, quæ te circumſtantibus amicis olim chariſſima fuit virgo, jam odio eſſe, & matrimonio, & mortalitate defuncta incipiat; ſi ob eam inexplicabili pœnâ torqueri te viderint illi, & præcluſam ſibi cum de illa, tum de re omni jucunda penès te loquendi libertatem indignè ferre cœperint. Docebit animum ab gravi nimis, atque moleſto pondere ſubducendum, quo expeditior in Reipublicæ gubernatione verſetur. Illud denique ſapientiæ eſſe, ne ſingula recitem, ipſe comperies: inde laudem & fortis Principis, & ſapientis educere, ubi nullus in quamvis eximia pietate ſit fructus. Quare & præclarum fore animadvertes, ſi te hominibus cunctis præbueris in exemplar ad lætitiam in quaque re ita complectendam: ut ſi in triſtitiam repentè verſa fuerit, non ſe proſternt ſinant, ad ſpes, quamvis altiſſimas, ita concipiendas: ut ſive in earum exordio, ſive in medio curſu, ſive in ipſa propoſiti ſibi finis conſecutione intercipiantur, non ſibi propterea conſilium deeſſe prorſus, & rationem permittant. Non dolore victus, ſed pietati concedens aliquid extra firmiſſima hæc, quæ in te ſunt, præſidia vagaris clariſſime Princeps. Sed jam receptui dandum eſt ſignum; ne quis de tua conſtantia dubitare poſ-

ſit,

ſit, cavendum eſt: ne tuos ingreſſus fines, & intrà eos, quaſi poſſeſſionem adeptus uſucapione, jus ſibi quærat dolor: ne aſſiduitate familiarem ſe intimum, atque perpetuum tibi comitem reddat: ne quam in luctu perſeverantiam, veluti gloriæ ſpeciem oſtentet, quæ placeat; neve in ſenſum ipſe pedetentim ſurrepat, & voluptatem quandam inter ſuſpiria ſuggerat, quàm celerrimè providendum eſt. Ad hæc ampliſſima in te cùm ſit facultas, eam ut complectaris, tum filiæ tuæ gratiſſima illa quondam ſuavitas: in cujus locum rem modò non ſimilimam, ſed maximè diſſimilem, triſtitiam ſcilicet, & cordis amaritudinem ſubſtituere injurium eſt; tum eorum, qui te amant, venerantur, colunt, una vox, etiam atque etiam petit. Inter quos ego: quanquam non ſatis auctoritate valeo, quam mihi vel fortuna ſuppedita verit, vel præclara aliqua virtus: tamen, quia obſervantiâ in te eximiâ ſum, volui, quæ acerbo mihi tuo caſu in mentem venirent, ſinè ambitione perſcribere. Ea ſi, ut fideliter à me, atque amantiſſimè dicuntur, attentè audiveris, tantæ ipſe mihi ſum conſcius in te charitatis, ut ejus ardorem non mediocriter ad tuas extinguendas lacrymas profuturum confidam.

GUINIFORTI BARZIZII BERGOMATIS

ORATIO

AD SUMMUM PONTIFICEM NICOLAUM V.

EX eo die, Beatiſſime Pater, quo Spiritus Sanctus ad ſummum te in Eccleſia ſua Pontificatum perduxit, optavi ſemper: quem antea pro clariſſimis, & ingenii ornamentis, & animi, pro humaniſſima natura, conſuetudineque mitiſſima, pro non obſcura benignitatis in me ſignificatione, ſingulari quadam obſervantia coluëram: jam in ſummum culmen provectum ut mente contemplabar abſens, ſic præſens ipſo etiam corpore venerari, & admitti ad pedum oſcula beatorum. Ad hoc nunc primum occa-

sionem nactus ex Tyburtina Urbe: in qua apud Serenissimum Regem * Orator pro Sanctitatis tuæ obsequentissimo filio Philippo Maria Mediolanensium Duce dego: huc me contuli, huic primum officio daturus operam; deinde quædam expositurus, quæ Principis mei rem attingant, digna quidem, in quæ paterno affectu Beatitudo tua incumbat. Itaque in tuum, & tenebrarum Angelis tremendum, & verendum omni viventi animæ conspectum admissus tuâ clementiâ, te sanctissime summe Pastor, cunctorum, quæ sub Cœlo sunt, moderatorem, gubernatoremque intueor: te Regni Cœlorum claves tenentem agnosco: te certissimum Filii Dei Vicarium, omnes beatorum Spirituum ordines dignitate, ministerio, potestate longè excellentem colo. Etiam iis, qui non septies tantum, sed septuagies septies à lege sua prævaricati sunt, aditum in patriam aperiri vult Dei Filius. Tu me, Pater mitissime, qui Christi vestigia in terris jam, non ut antea sequeris, sed tenes, suscipe quæso, tuoque in grege annumera: non qui ab tui Apostolatus confessione declinaverim unquam, sed qui ad te jure optimo me volens, ac libens adduxerim, tum & filii tui Principis mei institutione verum te, atque unicum gregis dominici Pastorem summum & corde credidcrim semper, & ore confessus sim. Hoc meæ professionis est, devotionisque, ac privati studii: alterum, quod ad Principem meum pertinere dixi, muneris est publici. Id attentè ut audiat Beatitudo tua, idem ut clementer exaudiat, per Deum obsecro, Sanctissime Pater. Memoria tenet Beatitudo tua &c.

GUI-

* Alphonsum Primum Regem Neapolis.

GUINIFORTI BARZIZII BERGOMATIS

ORATIO AD LUDOVICUM DUCEM SABAUDIÆ

In morte Amedei VIII. primi Sabaudiæ Ducis

CARDINALIS SABINENSIS.

NOn potuit hoc tempore, Illustrissime Dux, gravius consobrini tui Joannis Marchionis illustris animo vulnus inferri, hoc uno, quod accepit, audito nuncio de morte præstantissimi Principis, & excellentissimi in Ecclesia Dei Episcopi Cardinalis, summique Apostolicæ Sedis Legati patris tui, avunculi sui. Cum enim magnitudinem jacturæ cogitat, quam tanti patris amissione incurristi: non potest hic tibi naturâ consobrinus, charitate vel filius, vel frater, non graviter mœrere dolore tuo, & damnis angi, atque solicitus esse. Cùm verò pro sanguinis arctissima necessitudine, qua devinciebatur avunculo, paulò liberiores habenas propriis relinquit affectibus: tantus animi ægritudini cumulus accedit, ut luctus tui socius, ac comes, longè cæteris, ad quos ea res pertineat, pietate præferendus videri debeat. Est enim hæc, vel sola jactura per se grandis nimium, & quæ compensationem non facilè sit receptura; neque solum pondere suo premit, sed etiam obitus illustris ejus matris amitæ tuæ memoriam renovat: ut cum avunculum eâ quidem excellentiâ Antistitem se nunc amisisse cogitat, etiam avunculi sororem matrem suam, Principem inter primas ætatis nostræ immortalitate dignissimam, paulò ante ab humanis excessisse recordetur, in quam fuisset singulari veneratione, & cultu. Hunc mœrorem suum: ne vel severioribus minus dignum forti Principe animum gerere, vel fastidiosis mollem in re luctuosa ambitiosè ostentare videretur: solitudine aliquamdiu, atque ipsis ædium parietibus

texit,

texit, incluſumque tenuit. Poſtea verò quàm naturæ, piiſque lacrymis ſatis indulſiſſe eſt viſus, & modum caſuum ſuorum deplorationi poni oportere animadvertit: omnis in te, Illuſtriſſime Dux, cogitatio reſedit, quem non dubitat, quo in patrem amore, quâ in talem patrem obſervantiâ fuiſti, incredibili dolore affectum eſſe. Is igitur: quoniam ſibi non licet coram, neque lenire condolendo (id enim commodi afferre neſcio quo pacto ſolent propinquorum, atque amicorum lacrymæ) nec conſolando depellere mœrorem tuum: hîc præſentem Venerandum Abbatem Bernardum ex Marchionibus Saonæ, meque una cum eo delegit, qui vices ſuas geramus; & quantum omni officio aſſequi poſſumus, te à ſummo luctu ad conſilium, rationemque vocemus. Non enim ignorat, maxima in te, firmiſſimaque præſidia eſſe collocata: modò ipſe te collegeris, memineriſque, tametſi amantiſſimi filii ſuſtinenda fuerit, Ducis tamen invicti minimè deſerendam eſſe perſonam. Nos ad prudentiam tuam longè, latèque illuſtrem ut te recipias, mitiſſime Dux, petimus, hortamur, atque exoramus. Ea commemorabit homines hac lege natos, non modò aliquando ut moriendum ſit; ſed etiam ut filii parentum mortem (niſi fatis hic ordo, aut caſu aliquo prævertatur) videant, & in eorum quaſi locum ſuccedant. Dicet non eſſe nobis hic Civitatem permanentem, ſed indictam peregrinationem quandam: quam qui piè, caſtè, religioſèque peregerint, recipiantur magno ſuperorum civium plauſu in patriam cœleſtem, ubi inacceſſibilem lucem inhabitent. Quare patris tui excellentiſſimi primum viridiori ætate Principis; poſt procedentibus annis magni in Eccleſia luminaris, rebus tum juſtè, ſeverè, fortiter, magnificè, tum manſuetè, clementer, moderatè, ſapienter, ſanctiſſimè geſtis, ordine expoſitis, commemoratoque ejus ex corruptibili carne feliciſſimo exceſſu, fidem propè certam de æterna ipſius beatitudine faciet. Monebit deberi à te Reipublicæ ſtudium, & Regni mi gubernandi curam eò majorem oportere ſuſcipi, quò magis ad te unum res omnis ſpectat, eo è medio ſublato, ad quem conſilia tua referre ſolebas: non ſatis autem ægrum animum, ac nimio dolore ſaucium, quid in re quaque veriſſimum, quid optimum ſit, perſpicere. His excitatus moleſtiæ rationem habendam

dam ſtatues, Illuſtriſſime Princeps, nec te piis affectibus totum permittendum putabis. Simul & juſtitiæ eſſe animadvertes, acquieſcere ſive fatis dixerim, ſive divinæ potius voluntati: præſertim cum grandævus hic pater, non intempeſtivè præreptus, ſed multis impletis annis, membra ſolviſſe, ac reddidiſſe naturæ quod debebat, videri poſſit. Grati verò filii eſſe intelliges, lætari magis optimè meriti patris quiete, ac beatitudine ſempiterna, quàm propriis incommodis finem aliquando accepturis torqueri; teque ita confirmare animo, ut ejus memoriam cum gratiarum actionibus & aſſiduè colere, & celebrare quàm ſæpiſſimè valeas. Nam & immortales habendæ ſunt Deo gratiæ, quòd tanto, ac tali te patre genitum, quòd ſub eo educatum, atque ad firmiorem ætatem perductum, quòd ad Regni gubernacula eruditum, perfectumque, illo vivente, eſſe voluerit; nec memoriâ excidere unquam debet, quanta pater ipſe egerit, ut quam à ſuis majoribus acceperat, gloriam, multo ampliorem ad te, illuſtrioremque tranſmitteret: quem virtutum æmulum, atque imitatorem eſſe videbat. Tuæ denique magnanimitatis non immemor, erecto contra, immò & ſupra adverſa excelſo te animo eſſe docebis; nec committes, ut vel à tempore: quod etiam iis, qui dejecti nimium, conſternatique ſint, ſubvenire diuturno lapſu ad dolorem mitigandum, nonnunquam etiam ad abolendum proficere ſolet: beneficium expectaſſe, vel aliunde mutuari, quàm ab tua conſtantia petere auxilium maluiſſe, non injuriâ quiſquam judicare poſſit. Contraque omnibus, qui vel hoc caſu mœreant, vel ad ſua tempora, quæ tibi evenerunt, cogitationem referant, te quaſi ſignum quoddam inſigne, atque illuſtre præbebis, ut exemplo tui, æquo animo, quæcumque audiverint, ferant. Sed & cogitationes ipſe tuas in meliora convertes, illud perpendens, quod maximè omnes, qui tuæ Celſitudini favent, recreat: quod non ad Ducatus faſtigium nunc primum accedas, ſed dudum ipſe, & Dux, & rerum omnium moderator fueris: quod Regni primoribus fide obſtrictis, quod populis ad nutum obtemperantibus, quod pacatis rebus omnibus, ſolus in Imperio relictus ſis. Neque leve erit ſolatium unanimis & genere, & moribus regiis illuſtriſſima conjux, liberorumque optimæ ſpei, ac

præcla-

præclaræ indolis multitudo * cum nuribus, quæ patrum Sereniſſimorum Regum tum potentiâ, tum ſplendore domus tuæ hinc muniant incrementa, inde lumen adaugeant. Succurrent & alia complura ſapientiæ tuæ cum ad dolorem minuendum, tum ad abdicandos luctus. Ad te ipſe ut redeas, te tibi commendes, ex te ſolatia adverſus acerrimum iſtum, vehementiſſimumque dolorem, ut repetas, ſapientiſſime Dux, earum, quæ ſibi in mentem venerunt, rationum commemoratione te provocat, hortatur, excitat tui amantiſſimus conſobrinus Joannes Marchio illuſtris. Eodem in te ſunt ſtudio & ejus fratres, Theodorus Apoſtolicus Protonotarius, Guillielmus, & Bonifacius, & belli & pacis artibus, ac ſtudiis clari, atque inſignes. Leniat, oramus, tot, ac talium fratrum, & ea quidem neceſſitudine tibi conjunctorum ſingularis pietas, ac ſummum ſtudium, acerbitatem doloris tui. Recreet te ratio benè, ac beatè vivendi magiſtra: confirmet ipſa tibi inſita virtus, innatumque animo robur. Nempe ô Dux: cui ad gloriam omni laude cumulandam jam nullâ in re deeſſe materies poteſt: Marchionem habes & generis, ac majorum claritate inclytum, & ſuâ, fratrumque virtute, Principatuſque Montisferrati nomine, ac viribus præpotentem: qui & omni tum ratione, tum pietate contendat, ut te adverſus caſum hunc graviſſimum confirmes; & nullum pro tuis commodis, pro dignitate, pro amplitudine prætermiſſurus, quæ eſt in te charitate, officium ſit. Nos verò, illuſtriſſime Dux, hoc à præſtanti virtute tua precibus imploramus, ut nobis per te liceat ad illuſtrem conſobrinum tuum Principem noſtrum, cujus reliqua omnis conſolatio ex tui doloris moderatione pendet, non obſcurum de magnanimitate tua teſtimonium cum laude referre.

GUI-

* Anna Jani Cypri Regis filia ſexdecim filiorum numero illuſtris.

GUINIFORTI BARZIZII BERGOMATIS

ORATIO

AD LUDOVICUM DUCEM SABAUDIÆ

In morte Amedei VIII. Primi Sabaudiæ Ducis.

CUm multa à noſtris majoribus, vel legibus inſtituta ſint, vel moribus in conſuetudinem optima ratione ducta, Illuſtriſſime Princeps, * voſque omnium Ordinum lectiſſimi Viri: nihil eſt, quod magis humanitatem omni ex parte ſapiat, quàm quod ad mortuorum funera, quanquam alio apud alios ritu celebranda, ab ipſis Mundi primordiis in hunc uſque diem permanſit. Nam ea re, & ad religioſa hac vitâ defunctis reddenda jura occurritur, & ſanguine proximis, maximâque illis neceſſitudine conjunctis, cum ad ipſorum luctum leniendum, tum ad illorum, quibus ſe orbatos doleant, imitandam virtutem, atque aſſequendam gloriam, ſi qua extet, incitamenta non levia afferuntur. Qui verò ſeſe hoc ipſo concurſu, atque uno quaſi conſenſu, & pios ad memoriam defunctorum, & miſericordes in ſuperſtites exhibuerint, facilè ad conſiderandam communem hominum conditionem ducuntur, atque naturam imbecillam, caducam, fragilem, multis, ac variis fortunæ ictibus expoſitam, ſed & inevitabili fatorum legi ſubjectam: cujus ſubeundæ cum advenerit hora,

* Amedeus VIII. Primus Sabaudiæ Dux in Concilio Baſileenſi electus fuit Pſeudo Pontifex, dum ſolitariam vitam ageret Ripaliæ, nomenque ei impoſitum Felicis IV. ſeu V. filius erat Amedei VII. Sabaudiæ Comitis, & Bonæ Biturigum Ducis filiæ: ſublato demum ſchiſmate à Nicolao V. Cardinalatus dignitatem, & Legationem, quoad viveret, accepit, dictuſque eſt Cardinalis Sabinenſis. Obiit idibus Januarii anno 1450. ut ex Ciacon. in vit. Felicis V. Antipapæ, vel ſeptimo Idus Januarii 1451. ut ex Franciſco Maria Ferrero in arbore gentilitia Sabaudæ Domus: tuncque habita eſt hæc Oratio à Guiniforto Barzizio ad Ludovicum Sabaudiæ Ducem II, dum Johannis Paleologi Montiſferrati Marchionis Oratoris munere fungeretur.

hora, tum denique, ſi parum antea fuit intellectum, præterita omnis vita, quaſi torrens quidam affluxiſſe noſcatur, & omnis ſive percepta, ſive concupita voluptas pro nihilo habeatur, quia poſt nulla futura ſit; tantum autem id remaneat, ac proprium fore confidat animus ſibi recti conſcius, quod virtute, atque officio ſit conſecutus. Ita dum humanis affectibus indulgemus, ac die funebri agendo, ſimul & mortuos benevolentiâ proſequimur, & mœrore affectis viventibus, vel adeſſe conſolando, vel commonefaciendo prodeſſe volumus; etiam in ipſam noſtræ humanitatis, hoc eſt figmenti noſtri profundam, ad nos ipſos, quæ aliis acciderint, referentes, cogitationem deſcendimus. Verùm, quod non eâ in primis ratione, ut ad hanc meditationem revocemur: à qua tum voluptatum illecebris, tum occupationibus variis plerunque diſtrahimur: frequens ad funera conventus haberi ſolet; ſed ut quos dileximus, obſervavimus, coluimus, iis è media hac luce ſubtractis, Supremum vale dicturi publicè, quoniam ipſorum deinceps præſentiâ ſit carendum, exquiſitos impendamus honores; ego uniuſcujuſque tacitæ menti, quæ ad noviſſima ſua pertineant, recenſenda relinquam; ad immortales autem divi hujus, quem terras deſeruiſſe dolemus, Patris laudes, quantum & memoriâ, & ingenio aſſequi potero, repetendas, atque oratione explicandas me conferam: quarum prædicationem ad ſe potiſſimum, tum è more majorum, tum pro ſua in illum obſervantia pertinere cùm animadverteret Joannes Montiſferrati Marchio, ac Princeps illuſtris, vices ſuas, quoniam præſenti adeſſe non ſatis licuit, venerando, quem hîc ſtantem videtis, Abbati, ac Juris Pontificii claro interpreti Bernardo ex Marchionibus Saonæ, & mihi Oratores mittens, delegavit. Itaque ut rem propè immenſam aliquando ingrediar (nam meus collega hic, qua eſt & gravitate, & omnibus in rebus modeſtiâ, hoc omne ad me unum, quod commune erat, orandi munus deferendum putavit) vos appello, quicumque in hoc ampliſſimo conſeſſu eſtis, Regum Sereniſſimorum, illuſtriſſimorum Ducum, excelſorum Principum, florentiſſimarum Rerumpublicarum Legati magnifici: vos item Reverendi Epiſcopi, magnanimi Proceres, clariſſimi Doctores, graviſſimi Viri: omnis denique tum reli-

religioſorum hominum, tum civium optimorum cœtus, vos, inquam, appello. Quò tandem conveniſtis? Ad ejuſne exequias peragendas, cujus aut laudes certis ullis quaſi limitibus contineantur, aut virtutes uno aliquo in genere vitæ ſpectatæ ſint? Nempe maximâ frequentiâ conventus habetur ad ejus memoriam colendam, ac ſummo ſtudio immortalitati conſecrandum nomen: qui nullius ætatis, nullius ſtatus expers, mirificum ſe hominum generi exemplar, ac ſplendidiſſimum jubar, ad omnem in ſuo lumine bene, honeſtè, beatè tranſigendam vitam præbuit. Pueri quidem, claris præſertim majoribus orti, quibus in primis rationibus, atque inſtitutis & muniram innocentiam ſuam, & eruditum ingenium adoleſcentiæ commendent, ab hujus incunabulis, qui ad tantum conſcendit culmen, repetent. Adoleſcentes, quâ curâ, continentiâ, moderatione, tolerantiâ ſeſe immaculatos cuſtodiant, & ad optima quæque aditum comparent, atque conforment; æſtuoſumque ejuſce ætatis mare, quod innumerabilibus, vehementiſſimiſque tempeſtatibus, atque procellis agitari ſuapte naturâ ſolet, ſine naufragio trajiciant, in hujus unius puberrate inveſtigent, quam in maxima rerum omnium affluentia, & copia facillimè tranſegit. Confirmata jam ætate viri, ut exploratè cognoſcant, quo ritu, quâ modeſtiâ, qua æqualitate, juſtitiâ, clementiâ, ſeveritate, quâ fortitudine, veritate, conſtantiâ, quâ prudentiâ, quâ gravitate vita degenda ſit: ut ſenectuti cum auctoritas, & honos, tum quies, ac reliquæ vitæ tranquillitas præparetur, animum advertant ad hunc ſummâ integritate, ac per omnes perfectâ numeros virtute Principem. Senectutem minimè moleſtam eam haberi oportet, quæ rectè decurſis cæteris vitæ ſpatiis conſequatur; ſecuroque ex bene ante partorum memoriâ animo expectari mortem debere, liberi formidine ſentient quicumque & ſupremos ſapientiſſimi hujus, ac firmiſſimi Eccleſiæ cardinis annos recordabuntur, & felicem animæ ejus ex humanæ carnis diverſorio exitum audierint. Habent verò ſinguli, quod ab hoc diſcant, qui ad ſeſe rectè componendos, ac benè formandum, inſtituendumque animum curam ſuſpiciendam putant. Habent patreſfamilias quod mirentur: qui domeſticarum rerum adminiſtratio-

ni, cujus rationem græco vocabulo œconomicam dicimus, caſtè, integrèque præeſſe cupiunt. Habent Reges, ac Principes quod probent: qui populos, qui Regna in fide, amore, pace, continere, ac gubernare, ad felicitatem ſuam pertinere arbitrantur. Habent denique quod ſuſpiciant, atque admirentur: qui ad Eccleſiæ Dei gubernacula promoti, ſe in quamvis alto faſtigio, humilitatis illius, quam Chriſtus Jeſus magiſter noſter Dominus, & Salvator docuit, cuſtodes, & mandatorum, quæ ab illo accepimus, cultores ſtudioſiſſimos eſſe oportere intelligunt. Sed ne ab inſtituto divertere, ac in aliorum bonis, quæ ex hujus, & præſtantiſſimi Principis virtute, & Pontificis integritate haurire liceat, vagari quodammodo oratione cuipiam videri poſſim; colligam me ad ejus unius, cui hæc viro optimo ſolemnitas debetur, gloriam celebrandam. Spectatur in homine fortunato ſplendor generis, parentum, atque majorum claritas: multæ atque amplæ ditionis jus: affinitatum, ſocietatum, clientelarum & munimen, & ornamentum: divitiarum, atque opum multiplex vis, & rerum copia, quæ abundè ſuppeditare non ad utendum ſolùm, ſed etiam ad largiendum, atque ſpargendum poſſit. Expetuntur hominis fortunati commoda tum corpori, tum animo à natura data, valetudo, agilitas, robur: ut & dolore careat, & ad res gerendas idoneus ſit, & laboribus fungatur corporis, cum uſus venerit: memoriæ præterea firmitudo, ingenii calor, ac lumen quoddam, animi tum gravitas, tum lenitudo, quæ vi quadam ſua, ac ductu allicere ad ſe hominum voluntates, ac ſtudia quàm facile ſolet. Effertur laudibus fortunatus homo, atque in Cœlum, ut ita dicam, tollitur: qui vel comparandæ, vel cumulandæ gloriæ cupiditate, ac ſtudio flagrat, nec ullos pro ea labores, non ſumptus ullos fugiendos, nullum metuendum periculum ducit; ſed nullis rerum detrimentis, aut damnis à ſuſcepto propoſito revocatur. In quo hæc ſuſpexerit vulgus, atque alia hujus generis, hunc admiratur, hunc habet in ore, hunc veneratur, hunc colit. Sed qui rectius de rebus humanis ſentiunt, eos non aliter in lauta parte habendos judicant, quod nuper expoſitis commodis abundent: niſi honeſtis illa rationibus comparanda duxerint, niſi moderatè tractanda meminerint, niſi nullam

lam ad ſe licentiam inde, vel ad ſegnitiem, atque deſidiam, vel ad turpe quidpiam tranſmitti putent: niſi ſe ad virtutem, atque officium eò propenſiores, atque paratiores eſſe animadvertant, quò pluribus ad ea, majoribuſque adminiculis fulciuntur; atque, (ut uno concludam dicto) niſi omnia virtute condienda irremiſſibili ipſi ſibi lege ſanxerint. Ita qui fortunatus ſit, eum felicem fieri poſſe fatendum eſt. Beatus verò profectò nemo ſapientiſſimorum hominum ſententiâ eſt habendus: tametſi felicitatem inter mortales conſecutus dicatur: niſi rerum divinarum agnitionem ad veram, abſolutamque beatitudinem ſibi neceſſariam exiſtimaverit; & ſe cum ad ſuperna, quantum & acie mentis, & quærendi ſagaci diligentiâ aſſequi poſſit, comprehendenda: tum ad comprehenſa, quantum humana utilitas feret, imitanda contulerit. In hunc noſtrum & excelſæ gloriæ Principem, & verendiſſimæ integritatis Patrem omnes felicitates ad eum beandum conſenſiſſe plane conſtabit; ſi quædam rerum capita (nam omnia exponere prolixum nimis, ſingula verò proſequi propè infinitum eſſet) quamvis brevi narratione percurrero. Amedeæ Domus & ſuave Cœleſtibus etiam Spiritibus, & inter mortales illuſtre cognomen, aliquot ante ſæculis claruiſſe cognoſcent; ſi qui veteres annales rerum pro Chriſti populo adverſus ſalutiferæ crucis hoſtes magnificè, præclarèque geſtarum attentè perlegerint. Ac ne cætera, quæ nimis ab hoc remota ſæculo præceſſerunt, repetam; tulit ea Domus Amedeum hujus, quem nobis ſublatum lugemus, ſi rectè à me digeſta omnis eſt ſeries, avum, * fortiſſimum quidem exercituum Ducem, inclytum adversùs barbaros pro Chriſti nomine athletam. Is re Chriſtianâ ſæpius ex ſententia geſtâ, incredibili tandem virtute ſtravit, profligavit, atque delevit hoſtium copias: quâ victoriâ dignus eſt habitus, ut inter cætera in eum collata ornamenta, etiam candidæ crucis inſignibus, in cujus ſigno viciſſet, primus à ſummo Hieroſolymitanorum militiæ Magiſtro donaretur. Subſequuti una penè ætate ſunt & is, qui Achajæ Principatum: & alius, qui

* Fuit hic Amedeus ſextus, qui Turcis è Græcia pulſis Varnam obſedit, ac Joanni Paleologo Imperatori à Bulgariæ Rege libertatem obtinuit. Cuſpinian. de Cæſar., & Imperat. in vit. Joanni Paleol.

qui Nemuricenſem Comitatum obtinuit, & hujus, de quo à me habetur oratio, pater: quem ditione perpetuâ in Allobroges, atque in omnem Sabaudiam ab Romanorum Imperatore * in ſe collatâ, multa præclarè geſſiſſe non obſcura literarum monumenta teſtantur. Media poſt tempora magnanimos, atque illuſtres tulerunt Principes, quorum nemo fuit, qui non majorum ſibi famam ſuis laudibus æquandam videret: donec ad hunc unum perventum eſt, in quem tantæ Domus, & gloriæ ſplendor, & rerum omnis ſumma devolveretur. Hanc majorum lucem, hanc fortunarum amplitudinem, ut non ſolùm tueri, ſed etiam augere poſſet, ultro eum natura iis bonis armavit, quæ ab ſe peti ad difficillima obeunda negotia non impudenter poſſent. Quod beneficium nulla in parte negligens, validum ipsâ naturâ corpus, atque aptum, & exercitationibus honeſtis, atque induſtriis ad labores duravit, dexteriuſque reddidit, & ſummâ temperantiâ incolume ad extremam uſque ſenectutem perduxit. Ingenium verò, quod eruditionem recuſaret nullam, honeſtiſſimis diſciplinis, atque artibus maximo Principe dignis, exactiſſimâ diligentiâ ornavit. Mentem denique ſua ſponte humilia contemnentem, atque alta ſpectantem, ad ea pertingenda excitavit, omnique virtute inſtruxit. Quarum rerum fiducia fretus, non dubitavit ſe magnificè conſequuturum, ut & ditionem, quam à ſuis majoribus accepiſſet, certiſſimis ipſe titulis ſtabiliret, ac firmiſſimis rationibus ampliaret; & ſuâ ipſe gloriâ non ſolùm illuſtres illorum laudes anteiret, ſed propè in Cœlum uſque conſcenderet. Is itaque Ducatus nomen, atque inſignia primus ad Comitatus, & ad Principatus priſca jura adjecit. Is Regni ſui fines tum conſilio, tum auctoritate, tum rerum geſtarum magnitudine prorogavit. Is aviâ paternâ prognatus Sereniſſimi Francorum Regis ſorore, matre verò natus ſplendidiſſimi, ea tempeſtate, Biturigum Ducis filiâ; ipſe ex ejus, quem ætas noſtra fert præſtantiſſimum Ducem, Philippi Burgundionum Ducis amitâ, quam ſibi adoleſcens matrimonio copulaverat, ſuſceptis liberis, unicam ſibi, geminas filio nurus ex tribus Sereniſſimis Regibus in familiam ſuam traduxit; excel-

ſis

* Vvenceslao

ſis prætereà affinitatibus aliis, tum ſororum, tum filiarum locatione Domum ſuam & ornavit, & ſepſit. Is denique matrimonii defunctus munere, virtutumque ſuarum æmulo, atque imitatore, quem præſentem cernimus, filio in Ducatus faſtigio conſtituto, cum ipſe ſe ſibi vindicaturus in ſolitudinem ſeceſſiſſet, neque diutius ibi relictus fuit; tanta de ejus ſapientia longè, ac latè vulgata erat opinio, & magno tandem Catholicorum Principum conſenſu, ampliſſima in eum collata à ſummo Pontifice Legatione, præſtantiſſimus eſt habitus in Eccleſia Dei Cardinalis Epiſcopus. Admonet me hic locus, ut quâ ſapientiâ ætatis ſuæ tempora diverſis vivendi rationibus diſtinxerit, quamque ſcitè ad quodcumque vitæ genus propria accommodaverit ſingularum virtutum officia, exponam: ad quod animos quæſo diligenter advertite. Debuit omni tempore ſe ipſum Deo in eum gratiſſimus hic Princeps, ſed primâ quidem, ac mediâ ætate debuit propter Deum parentum memoriæ pietatem: populis ſub ditione ſua relictis benè gubernandi curam: fortunæ; ſi fas eſt hîc fortunam nominare; vel potius hominum de ſe exiſtimationi, à majoribus ſuis benè parta ſervandi, atque ampliandi diligentiam. Itaque dum ætas, dum tempus tulit, dum ſuis neceſſarium ſe eſſe putavit, ſe virum, ſe patrem, ſe Principem geſſit. Eo tempore prudentiæ eſſe animadvertit, ad rationis normam, quæ cogitaret, quæ ageret, univerſa dirigere; ac nihil præter rectum, nihil non decorum facere, humaniſque actionibus quodam quaſi divino arbitrio providere. In conſilium vocabat rationem, intellectum, circumſpectionem, providentiam: docilem ſe præbebat: opportunè cavebat rebus. Fortitudine animum ſupra periculorum metum agebat: nihil timere, niſi quod turpe eſſet; tolerare autem fortiter adverſa, conſtanter proſpera conſueverat. Ea virtus magnanimitatem, fiduciam, ſecuritatem, magnificentiam, conſtantiam, tolerantiam, firmitatem præſtabat. Ita ſe à temperantia non diſcedere cenſebat; ſi nihil appeteret pœnitendum; ſi moderationis legem in nullo excederet; ſi ſub jugo rationis cupiditatem domaret. Ei ſuffragabantur ad hoc inſtitutum verecundia, modeſtia, abſtinentia, caſtitas, honeſtas, moderatio, parcitas, ſobrietas, pudicitia; juſtitiam verò, in qua mens, animus,

mus, consilium, sententia Regnantium posita esse debet: cujus beneficio commoda omnia, jura, dignitatem, salutem, & qui imperant, & quibus imperatur, obtinent: quâ velut nervis universi Orbis compages servatur, sibi in primis colendam duxit: quæ, cum suam cuique tribuat dignitatem, communi utilitate conservata, innocentiæ custodiam deberi: amicitiæ, pietati, religioni, gratiæ impendendum studium: humanitatis, affectus, veritatis, boni denique, & æqui rationem esse habendam meminit. Itaque; si superiorem illam Principis hujus, ac Patris vitam perveſtigabimus; innumerabilia comperiemus, quæ piè, quæ mansuetè, ab eoque justè, quæ tum severè, tum clementer, quæ fortiter, magnificè, constanter, quæ moderatè, continenter, castè, quæ graviter, quæ prudenter tum in suos, vel filios, vel cives, tum in exteros, vel finitimos, vel procul distantes, tum domi, tum militiæ, tum pace, tum bello, vel consilio, vel re, vel manu gesta sint. Postea verò quàm grandior natu factus filium, in quo expressam suæ virtutis imaginem cernebat, ad ætatem firmam perductum vidit, & ad populos bene regendos, atque imperii sustinendum munus abundè institutum cognovit; ad summam tandem assequendam beatitudinem se expedivit, & Reipublicæ administratione sequestravit. A contagiis igitur corporis animam purgaturus, & quadam humanorum fuga, solis interfuturus divinis, prudentiam suam excitari oportere videbat, non ad humanas, ut hactenus, actiones dirigendas; sed ad Mundum hunc, & omnia, quæ in Mundo sunt, divinorum contemplatione, despicienda, & ad cogitationem omnem in sola re divina ponendam. Hunc temperantiæ præscribebat modum, non modò ut pœnitendum nihil appeteret; sed omnia ut relinqueret, quantum natura pateretur, quæ corporis usus requirit. Fortitudine se ita præditum fore intelligebat, non si animum supra periculi metum ageret; sed si à corpore sapientiæ ductu quodammodo recedente anima, interritus ipse permaneret, nec altitudinem perfectæ ad Superna ascensionis horreret. Justitiæ denique munus arbitrabatur, non si juris pro dignitate cujusque tribuendi curam gereret; sed si ad unam ineundæ cum divina mente societatis, perpetuique servandi cum ea fœderis viam sibi vicissim, con-

conſentiret uniuſcujuſque virtutis obſequium. Quis unquam Philoſophus acutius vidiſſe: quis divinæ legis Doctor expreſſius virtutis vim tradidiſſe, aut ad veram, perfectamque beatitudinem certiorem monſtraſſe viam perhibetur? O virum ſapientiſſimum, qui hunc ſtatum perveſtigarit! O magnanimum Principem, qui appetierit! O Pontificem feliciſſimum, qui attigerit! Fortunatus ergo, qui genere illuſtri, & magnis parentibus ſit procreatus: qui amicitias, opes, potentiam, dignitates & à ſuis majoribus in ſe uſque tranſmiſſas acceperit, & auxerit ipſe! Fortunatus, cui ad dilatandos ſupra modum Imperii ſui fines; ſi bellis omnia præter fas miſcere, labefactare, proterere voluiſſet; explorata opportunitas ſæpius ſit oblata: cui nihil ad explendas voluptates defuerit, ſi ſe illis permittere maluiſſet! Fortunatus, quem Reges amaverint, veneratæ ſint Gentes, ſiti coluerint! Fortunatus, in quo effingendo etiam natura ipſa artificii ſui meminiſſe, ac ſtudium non mediocre poſuiſſe videatur! Fortunatus item, qui longâ decurrendâ vitæ viâ neminem unquam offendiſſe dicatur: qui diutiſſimè vixerit, qui filium virtute præditum, cunctorum hæredem, moderatorem, ac dominum volens, ac libens ipſe viderit: qui ſobolem ex filio pulcherrimam, copioſam, ſuaviſſimam intra ſinum ſuum perſæpe collegerit, ac foverit, in qua cœleſtis quædam indoles appareret! Felicitatis autem particeps maximè, qui hæc commoda virtute circumſepſerit, munierit, ſolidaverit, & ut bona verè nuncupari poſſent, effecerit. Qui non ſatis in his Principum felicitatem conſtare arbitratus ſit, ſed felices nulla eos poſſe ratione eſſe Auguſtino crediderit: niſi juſtè imperent, niſi inter linguas ſublimiter honorantium, & obſequia nimis humiliter ſalutantium, de ſe ipſi modeſtè ſentiant, & ſe homines eſſe meminerint: niſi tardiores ad vindictam ſint, neque ad eam pro ſaturandis odiis, ſed pro neceſſitate regendæ, tuendæque Reipublicæ erumpant: niſi ad veniam propenſiores, non iniquitatis præ ſe impunitatem ferant, ſed ſpe correctionis indulgeant: niſi quod durius coguntur plerunque decernere, miſericordiæ lenitudine, & beneficiorum largitate compenſent: niſi luxuria tantò ſit eis caſtigatior, quantò poſſet eſſe liberior: niſi malint cupiditatibus pravis, quàm qui-

buslibet Gentibus imperare. Beatus verò, qui hæc omnia, non ardore inanis gloriæ, ſed felicitatis amore facienda curarit. Qui humilitatis, & miſerationis, & orationis ſacrificium Deo vero ſedulus immolarit. Qui ſe ipſum difficillimâ etiam in re, atque omnium maximâ abnegaverit ſibi, & ſuam poteſtatem ad Dei dilatandum cultum majeſtati ejus famulam exhibuerit. Qui Deum timens, diligens, colens plus adamaverit illud Regnum, in quo cupiat omnes habere conſortes. Beatus, inquam, in carne adhuc mortali poſitus, qui hoc ſenſu, qui hoc animo, qui hoc ſtudio vixerit: beatior, cum hac corruptibili veſte exueretur, ut aſcenſus ei tandem ad immortalem vitam pateret: beatiſſimus æternorum perceptione bonorum ut fieret, emeritis militiæ ſuæ ſtipendiis, ac peracto vitæ curſu, has vivendi rationes, quas expoſui, perfeciſſe piè credamus licet. Hunc, mitiſſime Dux, cum naturæ conſentiens, ac piis indulgens affectibus, tum etiam magnitudine jacturæ perculſus, primus antè cæteros: quos penè innumerabiles tui mœroris vel ſocios habes, vel participes: è media hac luce ſubtractum defles. Sed quanquam firmiſſima quæque ex tua virtute ratio tibi eſt repetenda; tamen non dubito, quin etiam maximus hic cœtus magnum te in modum moveat, animumque à ſummo dolore ad meliores cogitationes revocet, ſi ejus amplitudinem paulò diligentius conſiderabis. Leva, quæſo, oculos in circuitum, & ex quot Populis, quot Nationibus, quot linguis, quantâ frequentiâ, quàm propè infinita multitudine, ad declarandam cum in te vel fidem, vel benevolentiam, tum obſervantiam in patris tui excellentiſſimi Principis, atque Pontificis nomen, conventum ſit, vide: quorum certè ſtudium & acceptum tibi, & gratum, & inter ipſa ſuſpiria, atque ſingultus ſuave eſſe debet. Quæ verò gravitas hominum, quæ dignitas, quæ auctoritas in his ſubſelliis, atque intrà hos cancellos conſpicitur? Quantus Principum, ac Ducum ſplendor? Quanta Regum majeſtas ſacratiſſimum hoc templum explet, atque omnem locum? Noli enim cogitare aut me, qui loquor, aut venerandum hunc Patrem collegam meum; ſed conſobrinum tuum Joannem Montisferrati Marchionem, juſtitiâ, liberalitate, beneficentiâ, manſuetudine, gravitate, magnanimitate, ſapientiâ illuſ-

illuſtrem, atque excelſum adeſſe exiſtima, ac ſecum adduxiſſe tres præſtanti virtute fratres: Theodorum Apoſtolicum Protonotarium, quem honeſtiſſima, quibus à pueritia deditus fuit, ſtudia magnum in Eccleſia Dei fore pollicentur: Guillielmum, quem & comitas ſingularis, atque benignitas mediâ pace mirificè commendat, & ſcientia rei militaris, ac cæteræ Imperatoriæ virtutes bellicis laudibus extollunt; & utrique tempori pacis ſcilicet, ac belli, prudentia, ac eleganter inſerviens eloquentia commodiſſimum reddunt; & Bonifacium, qui haud diſſimili æmulatione virtutum, neque inferiorem ſe fratribus genere, & gloriam generis magnificè ſuſtinere contendit. Quatuor hos conſobrinos tuos tum ad exequias avunculo, cumulariſſimè undique in eum congerendis honoribus, celebrandas, tum ad te conſolandum, atque confirmandum, & ipſos omni officio, ac pietate adeſſe puta; & parentum, atque majorum ſuorum non ſolùm Marchionum illuſtrium, ſed etiam Regum Sereniſſimorum, partim qui in Theſſalia regnaverunt, partim qui Conſtantinopoli imperarunt: ex quibus eos non longiſſimâ annorum computatione prodiiſſe conſtat: memoriam effundentes, ſub tuæ mentis oculos, quantum cogitatione aſſequi potes, ac ſub tuum aſpectum pone. Sed & cæteras Legationes ampliſſimas, quæ circum te ſedent, cum intueris; veniat in mentem illuſtriſſimæ ſororis tuæ vir Ludovicus Bajovariæ fortiſſimus Dux, atque in ſacroſancto Romani Imperii Senatu unus è ſeptem: idem & animi magnitudine, & Comitatu, ſacrique palatii Præfecturâ clariſſimus Princeps: veniat in mentem & conſobrinus tuus Burgundionum Dux Philippus, Dux, inquam, præſtantiſſimus: in quo non virtutis ſimulachrum, ſed viva ipſa virtus cernitur: quem non inanis gloria delectat, ſed ad veram gloriam cum cæterarum uſus virtutum ducit, tum beneficentiæ prope divinæ laus eximia quàm latiſſimè vulgata perducit: cujus tanta eſt auctoritas, ut magnis etiam Regibus nomen ejus in veneratione ſit; veniant & alii in mentem Duces illuſtriſſimi, ac Principes inclyti, quorum Oratores, qua ſunt in obeundis mandatis fide, ac diligentiâ, quo in Principes ſuos cultu, qua in rebus, quamvis gravibus, adminiſtrandis ſolertiâ, non dubito, ſuo accuratiſſimè munere perfunguntur; veniant deni-

que in mentem Sereniſſimi Reges neceſſarii tui, quorum præclaris Legationibus hic illuſtratur locus: in primis autem excellentiſſima te majeſtate ſua ad conſtantiam magnanimo dignam Duce revocent, atque reducant Carolus * Francorum Sereniſſimus Rex, inclyti Principis Amedei primogeniti tui Socer, & ejus primogenitus Ludovicus * Delphinus illuſtriſſimus Princeps: quorum alter eam de ſe toto Orbe terrarum admirationem, rebus ſupra hominum opinionem geſtis, peperit; alter aliis in Regno feliciter adminiſtratis, aliis extra Regnum cœptis, magnificèque agitatis rebus, eam de ſe expectationem omni Europa excitavit: ut ſinè invidia fatendum videatur, eos clementiâ Dei, ac ſumma bonitate è Cœlo demiſſos, ac populis ſuis ad ſananda tam generoſæ Gentis vulnera, ad ſarciendas tanti Regni ſciſſuras, ad mirificè illuſtrandam excellentiſſimi Regum Francorum generis gloriam datos eſſe, in aperto ſit divini hujus doni magnificentia: tum verò neque eſt hîc de tam excelſis rebus, tam incredibili virtute, tam ineffabili gloria dicendi locus. Tot igitur Nationum humanitatem, officium, ſtudium complectere, illuſtriſſime Dux, ac mitiſſime Princeps: tam gravium virorum auctoritate permovêre: tantorum Principum, Ducum, Regum majeſtate confirmare: tuis ipſe animi bonis fruere, & depoſito mœrore, illud omni tempore providendum memento: ut pro tanti Patris gloria, cujus te, & hæredem appellas, & filium, in Deum optimum maximum, à quo id acceperis, quàm gratiſſimus inveniare.

GUI-

* Carolus Septimus.
* Ludovicus Undecimus.

GUINIFORTI BARZIZII BERGOMATIS

ORATIO AD SUMMUM PONTIFICEM PIUM II.

A Galeatio Sfortia Franciſci Mediolanenſium Ducis filio pronunciata.

ANimadverti nonnunquam, Beatiſſime Pater, hoc ab iis, qui dicendi rationem egregiè callere exiſtimantur, pro lege haberi: ut cum apud homines præſtanti aliquâ vel dignitate, aut ſtatu, vel auctoritate, aut ſapientiâ præditos habenda eſt Oratio, ad cauſam ipſi ſe quàm amantiſſimè inſinuent. * Id quidem certè, ſi in illis eſt probandum, eò diligentius à me faciendum videri poteſt, quò magis & tua Sanctitas omnibus majeſtate præſtat, & ætas mea minus audere ad rem tantam debet. Sed duo ſunt, quæ me hac exordiendi neceſſitate eximunt. Primum eſt (ad vos enim me tantiſper converto, Reverendiſſimi Patres, & firmiſſimi Eccleſiæ cardines) primum, inquam, eſt, quod ad eum mihi eſt dicendum: qui non magis cogitat eminentiſſi-

* „ Poſtera die, dum Chartuſiam peteret Pontifex, Faventinum, Forolivienſem, & Cornelienſem Vicarios occurrentes invenit, & paulò poſt „ Galeatium primogenitum Franciſci Sfortiæ Mediolanenſium Principis. „ Adoleſcentulus hic egregia ſpecie nondum ſextum decimum impleverat annum: verùm his moribus, eâ eloquentiâ, eo ingenio, atque induſtriâ præditus, ut pluſquam virilem prudentiam præſeferret: erat in „ vultu, geſtuque gravitas digna Principe: loquebatur ex tempore, quod „ vix alius diu cogitans effari potuiſſet: nihil pueriliter agebat, nihil leviter: ſtupor fuit audire ſeniles ex juvenili ore ſententias, & nondum „ barbatum cani hominis ſenſa proferre. Hunc genitor ex Mediolano cum „ quingentis equitibus ſplendido, & ornatiſſimo comitatu Florentiam, „ eoſque miſit Pontifici obviam, qui ad tertium lapidem paulò citra Chartuſiam ei occurrens, & ab equo deſiliens factos de more pedes exoſculatus eſt. Gobellinus Comment. Pii Papæ II. lib. 2. pag. 8. Anno itaque 1459. habita eſt hæc Oratio, quo Pius Mantuam profectus eſt, ut ex eodem Gobellino lib. 2. pag. 105.

tiſſimam ſe, atque omnibus verendam Sedem tenere, quàm meminit ſe eſſe patrem: cujus aures in filiorum etiam infantium nondum ſatis vel expoſita, vel expreſſa verba intentas eſſe oporteat. Alterum eſt, Beatiſſime Pater, quod ſi res penitus inſpiciatur, non ego ſum, qui loquor, aut cujus hic vocem exaudis; ſed filius tuus is, qui me genuit, Princeps, ut vera non taceam, obſervantiâ in ſacroſanctam Apoſtolicam Sedem, ac ſtudio nemini cedens: animi autem magnitudine, ac rebus geſtis, (ut modeſtiſſimè de patre prædicem) non in poſtremis habendus. Is enim eſt, qui per me, quaſi per organum quoddam, ab intimis ſuis præcordiis ſpiritum capiens, exponendos animi optimi in te ſui affectus putavit. Fretus igitur clementiâ tuâ, ad eam rem propè nudis, ut ita dicam, verbis accedo: eò brevior in dicendo futurus, quò & purior eſt mea fides nullo infecta fuco, & tibi notior, pro tua ſapientia, omnis patris mei ſenſus, menſque optima eſſe poteſt. Priora illa non repetam, Sanctiſſime Pater, quanti ſuperioribus temporibus tuam genitor meus, & in omni laudis genere præſtantiam, & erga ſe benevolentiam fecerit; quantâque, ex quo tempore ad ſummum Pontificatum aſſumptus fuiſti, curâ, diligentiâ, ſtudio in te ad omnia Catholici Principis vel ſuſcipienda, vel ultrò adeunda, ſuſtinendaque officia fuerit: Dico in eo tantum potuiſſe incredibilem, quæ ipſum cepit, magnitudinis animi tui, atque immenſæ in commiſſum tibi populum charitatis admirationem: ut, cum tu, cujus vel ſolis nutibus omnis anima vivens parere debet, viæ te longæ, atque difficili pro communi ſalute, poſthabita valetudinis, ac vitæ ratione, expoſueris: exiſtimet ipſe ſibi ſe nunquam ſatisfacturum, etiamſi cogitationes omnes ſuas, & conſilia, ſi theſauros, ſi exercitus, ſi Urbem, ac Statum pro te poſuerit: niſi etiam corpus, atque animam, quantum à ſe fieri poſſit, non verbis tantum, ſed re ipſa exhibeat: in cauſa præſertim tam juſta, tam neceſſaria, tam ad immortalem gloriam aditum referante, ad quam ultrò Catholicos Principes omnes, ac Populos undique uno conſenſu concurrere oportuiſſet. Id autem quoniam ipſe per ſeſe ut perficiat, neque horum temporum admittit ratio, nec ſapientia tua expectat; ea potiſſimum ratione faciendum curavit, quæ

una

una, cum apud omnes probatiſſima, tum clementiæ tuæ acceptiſſima fore videretur; filium enim primogenitum, ut vicem ejus gerens tuæ Sanctitati in via cum lectiſſima militum manu occurrerem, & ad imperia præſto eſſem, me præmiſit per vivum quoddam ſimulachrum: in quo expreſſam cerneres ejus imaginem, certiſſimaque immenſæ ſuæ, ac perpetuæ devotionis documenta acciperes. Milites quidem: quod & tuæ ſapientiæ id acceptius, & ad multa aptius fore intelligebatur: trans Apenninum relictos, Bononienſi in Urbe locavi, qui tuum ibi adventum operirentur. Ego verò Florentiam uſque progreſſus, ſub tuum, ut vides, conſpectum ſanctiſſimum veni. Orat autem pater meus, Beatiſſime Pontifex, ſic me ſuſcipias, ut non filium adoleſcentulum, ſed ſe, qui miſerit cum unanimi conjuge ſua matre mea Principe: cujus in tuam Sanctitatem & religio, & obſervantia tibi non eſt, opinor, incognita: jam videre te putes, ſeſe, liberos omnes, ſuas opes, & Statum largiſſimè offerentes. Sic de parentibus meis judicet ſapientia tua, Sanctiſſime Pater, ut de iis, qui Æneæ tibi primis in cunabulis inclytum nomen omni laude proſequuntur: qui Pii ſummi Pontificis majeſtatem divinâ providentiâ replentem Orbem rerarum, ſummâ veneratione, incredibili pietate, exactiſſimo ſtudio, exquiſitiſſimâ religione colant; ſic eorum fortunis, ſic me filio, atque iis copiis, quibus hac primâ adoleſcentiâ meâ, in tui, & Eccleſiæ tuæ ſanctæ obſequium præeſſe cœpi: ſic omni exercitu, quem florentiſſimum genitor meus, ac robuſtiſſimum habet: ſic genitore ipſo meo utatur ſublimitas tua, ut patri, ut domino iis rebus utendum eſt, quas ſibi & omnium paratiſſimas eſſe intelligat, & non minimo fore & honori, & commodo ſperare poſſit.

GUINIFORTI BARZIZII

BERGOMATIS

EPISTOLAE.

GUINIFORTUS BARZIZIUS
BERGOMAS
BARTHOLOMÆO VICECOMITI
NOVARIENSI EPISCOPO.

De illuſtribus rebus Alphonſi Aragoniæ Regis apud Gerbim Inſulam geſtis.

Æpenumero, Pater Reverendiſſime, cum literas, ut debui, ad te dare inſtituerem, occurrebat ſemper honeſta aliqua ratio ab hoc me officio revocans. Cùm verò, aut illam ex animo divellere, aut ejus non meminiſſe volebam: nunquam victor in hodiernum uſque diem evadere potui. Non intelligebam hujuſce rei cauſam, neque animadvertebam divina id voluntate procedere: ut qui nihil novi, niſi quidpiam de mea penes Sereniſſimam hanc Regiam Majeſtatem promotione allaturus fuiſſem, primas nunc ad te literas, non ſecundi mei ſucceſſus explicatione, ſed ejus gloriæ prædicatione celebres obſignarem; quam ſibi, nobis omnibus, qui cum eo eramus, univerſis Dei Filium Jeſum Chriſtum colentibus, immortalem nuper invictiſſimus Princeps Rex Aragoniæ in Libya comparavit. Vide Præſul clariſſime, quo pacto vel cenſuram tuam, ſi forte ſeverus in me judex eſſe intendis, evadere; vel alienum iſtud æs, quo tibi ad ſcribendum aſtringor, ſi avarum te creditorem exhibiturus es, perſolvere ſtudeo: qui & Dei nutu,

non meâ culpâ, tarditatem, qua extiti, eveniſſe dico; & magna pro parvis, communia pro privatis, caſtrenſia pro domeſticis tuæ humanitati annunciare conſtituo. Auditurus ſiquidem eras; ſi jam pridem, ut conabar, literas meas accepiſſes; quanta hujus Principis clementia in me fuiſſet, quàm honeſtum apud ſuam Majeſtatem locum tenerem, quibus à ſe beneficiis ornatus eſſem. Neque ignoraſſes, quam ingenti me charitate, ac beneficentiâ, ejus à ſecretis, vir in maximis Regni rebus adminiſtrandis prudentiâ quidem nemini cedens, auctoritate verò multos antecellens proſequatur. Nunc autem non modo hæc ipſa meas ſolum rationes contingentia his verbis intelligis; verùm etiam alia cognituras es: quæ cùm adverſus improbum, univerſalem, potentiſſimum hoſtem mirâ celeritate, ac virture à catholico Rege confecta ſint, digniſſima ſcitu apud religioſiſſimum etiam quemquam virum eſſe negabit nemo.

Tunetani namque Regis * Barbarorum omnium bellicoſiſſimi gentilitiam perfidiam, ac piraticam quandam potius, quàm Regiam adversùs Chriſtianos hoſtilitatem non ignoras: qui aſſiduas ejus clandeſtinas de navigantibus rapinas commemorari ſæpe audiviſti; privatas autem cum Rege noſtro inimicitias, poſt varias probationes doctè inſtructa illa, anno ante hunc tertio, barbarica adversùs Inſulam Melitenſem, parum tamen fortunata claſſis. Hujus itaque hoſtis nimiam inſolentiam Aragonenſis Rex magnanimus ultione dignam judicans: cùm aliam ob cauſam validiſſimâ claſſe circumſeptus ſuum in Regnum Siciliæ navigaſſet: dum principale inſtitutum non temere tractat, magnum illum Regem Pœnorum interim bello aggredi, & ab omni fidelium infeſtatione abſterrere cupiens, commodâ aliquâ ratione id tentare ſtatuit. Celerrimè verò quod optabat, exequi ſe poſſe animadvertit, ſi pretioſum aliquem Africani Regni locum impeteret, obſideret, atque hoſtiliter urgeret; ſic enim futurum Princeps ſapientiſſimus prævidebat, ut avarus hoſtis, ac fortunarum ſuarum tenaciſſimus non per exercituum Duces, ſed proprio ipſe corpore cum ſuis copiis ſubſidium obſeſſis afferre cura-

* Bopherius erat tunc Rex Tunetanus, ut ex Facio rerum geſtarum Alphonſi Regis lib. 4. pag. 85.

curaret. Est insula Gerbis populosa, fertilis, opulentissima, illius dominio subjecta, circiter sex, aut septem millia passuum à littore Punico distans: quam littori solida quædam lapidea moles miro artificio constructa, medium fretum intersecans, transitumque ad instar pontis subministrans, copulat. Illud verò fretum propter nimias syrtes à celsis navibus minimè, à triremibus, ac reliquis vix navigabile: celsis quidem solum in suo ingressu, cæteris autem etiam usque ad molem portuosum redditur. Aberat inde Rex Tunetanus duas tantum dietas, cum ingenti militum, peditumque multitudine expectans, quam sui Regni regionem primo impetu fulmen hoc classicum feriturum esset. Semper enim ex eo die, quo regium hunc apparatum in Siciliam applicuisse certior factus fuerat, omnem hanc * fabam in suum caput cudi metuebat; quamobrem molem, atque Insulam, cæteraque loca maritima diligenter munierat. Neque id sibi satis esse putabat, nisi & ipse in delecto loco, velut in specula quadam, Regis nostri adventum obvius sibi futurus opperiretur. Cognitâ igitur & Insulæ hujus, ac molis opportunitate, & proximâ hostis manu, Princeps noster triremi propriâ cæteris iter navigando patefaciens, primâ adventus sui die, quæ solemnis Virginali assumptione habetur, ad molem hanc cum aliquibus triremibus properat: eam in sui medio, invitis hostibus, inter primos conscendit, occupat, munit: resistentes Centuriones, qui plures ad custodiam, ac defensionem positi erant, intrepidè oppugnat, oppugnatos confligit, conflictos adeò cædendo insequitur, ut ipsius nomen jam tremendum illis esse inciperet. Reliquis triremibus, quæ à Rege præmissæ nusquam ab Occidentali parte Insulæ navigabilem alveum in freto invenerant, nos alii cum celsis navibus supervenientes jungimur: arte quadam proximè, quantum profunditas maris passa fuit, inter Africanas syrtes anchoras jacientes. Distabamus autem per xxv. ferè millia passuum a mole, in qua sedem suam Rex collocarat; nec prius hinc abire decrevimus, quam nova regia mandata susciperemus. Interim tamen, ne otiosi essemus, cum hoste quotidie non

* Apud Terentium in Eunucho; *et enim isthæc in me cuditur faba.*

non ſemel, ſed ſæpius in pugnam deſcendebamus: donec & latices nobis complures ad reficiendam claſſem armis, ac vi uſurpavimus, & Inſulæ Præfectum fortiter agentem ad tartara, ut manſiones his præpararet, qui eum ſecuti eſſent, tranſiniſimus. Erant quippe militum noſtrorum animi adeò concitati, atque accenſi, ut iis innata potius, quàm inſita virilis audacia videretur; eos enim intuebar, ardentibus oculis, facie impavidâ, erecto collo, conſtanti voce, minaci dexterâ non aliter ad bellum, quàm ad rem ſummè jucundam, ſummèque affectatam, in qua nihil horroris, nihil periculi, nihil timoris, laboris, anxietatis reſideret, incedere. At totis viribus curabat hujuſce exercitus inſignis Dux Joannes Capraria Comes Mohac, ut noſtri homines ante intellectam regiam voluntatem ſtationibus non egrederentur: vix poterat, non dicam minis, aut pœnæ alicujus indictione, ſed & acerbâ mortis mulctatione immenſam hanc noſtrorum adversùs perfidos barbaros indignationem continere; atqui potius eorum deſideriis nonnunquam indulgêre, copiamque ſibi cum hoſte certandi concedere neceſſarium erat. Quanquam autem barbari Principes, dolis, quaſi nuper ſub magno illo Annibale militaſſent, diverſis modis uterentur, plus tamen virtus pro nobis, quàm aſtutia adversùs nos ſemper valuit. Duo itaque Inſulæ imminebant exercitus; alter regius in mole, non quidem copioſus, ſed validiſſimus; alter ad Septentrionalem plagam numero major, virtute non inferior. Quorum unuſquiſque, relictis præſertim in mole cuſtodibus, ſingulariter ad Inſulam invadendam, ad immenſas opes diripiendas, ad omnes utriuſque ſexus, & cujuſvis ætatis homines in captivitatem redigendos, ad cætera incendio, ruinæ, vaſtationi ſubjicienda potentes erant. Sed Aſtra, Deo non repugnante, pro Inſularibus iis laborarunt. Nam & Princeps glorioſus regii animi Rex Alphonſus: dum inimici Regis adventum primum ſua ſponte, poſt etiam literis ab illo requiſitus lætо animo complures dies expectat: Inſulæ hujus ingreſſum poſtponit, & navalis exercitus Dux: dum nil arduum, inconſulto Principe, ut ſua exigebat fides, attentare vult: indubitatam penè ingentem prædam è manibus noſtris excidere patitur. Ita & excelſa Regis magnanimitas,

mitas, & integerrima Ducis fides, cùm tempus ad ſubvertendam Inſulam commodiſſimum datum eſſet, ſalutem ſibi, de qua ſperare deſierat, contulerunt; fuit enim reliquum omne tempus ad gloriam comparandam, non ad theſauros cumulandos adhibitum. Approximante interea multos dies non ſinè jactura noſtra expectato Rege barbaro, navigavit ad nos tranſmiſſus à Principe noſtro vir graviſſimus Joannes Olcina à ſecretis Regis, in mandatis habens, ut ſingula navigia fretum Inſulam, & littus Punicum profluens, per tantum ſpatium ingredi juberet, quantum in freto latentis alvei profunditas pateretur. Dedimus ergo ſinè mora vela ventis, pervenimuſque eò loci, quo Rex mandaverat. Naves in diſtantia decem millium paſſuum procul à regia mole ſe locarunt; non enim ulterius progredi valebant, niſi naufragium incurrere vellent. Cætera navigia partim Regi contigua, partim ſatis proxima fuerunt. Neque velim, Præſul humaniſſime, credas exiguum fuiſſe proprium numerum; audeo namque penes te: in quem, & reverentiâ ſingulari, & exquiſitâ diligentiâ ſum: affirmare, centum & his plures veliferas potentiſſimum Regem Dominum meum in Africam comitatas. Nihil equidem pulchrius me vidiſſe memini, quàm id erat, cùm aliquando celſæ naves in lato mari à cæteris non tam longè aberant, ut non invicem conſpici poſſent; tum enim tot carbaſa & flante vento prægnantia, & ſplendente ſole micantia ſeſe ordine quodam ſubſequentia intueri, jucunda nimiùm, & mirum in modum læta res erat. Itaque, ut unde diverti, eò redeam, ſuis quodque locis, ut alveus ferebat, navigium collocatur. Nunc tempus eſt proximum, digniſſime Pontifex, quo fortiter à fidelibus divina potius manu, quàm humana virtute dimicatum, atque omnem barbaricam arrogantiam repreſſam fuiſſe intelligas. Sed pauca prius de utriuſque exercitus copiis commemorabo. Eramus ex omni claſſe, qui in pugnam deſcendere valebamus, catholici homines numero circiter quindecim millia; hoſtium autem, qui in Inſula pro patria, conjugibus, liberis, pro fortunis, pro penatibus diis, pro ſua denique libertate certamen ſuſcepturi erant, duodecim ferè millia eſſe conſtabat. At de Rege Tunetano quid dicam? Quot legiones cum eo fuiſſe aſſe-

asseram: cum tanta eum multitudo secuta sit, ut ipsius adventu magna ob telorum copiam sylva in littore maris nata esse videretur? Utuntur namque hastis eximiæ longitudinis cuspidem ex omni capite habentibus, quas zegajas nominant, easque inusitatâ quadam apud nos militari arte quàm aptissimè tractant. Sed fuerunt transfugæ quidam ad sanctam fidem, à qua dissenserant, redeuntes, atque ad nos confugientes, qui certum hostium numerum nunciarunt. Ajebant enim fermè sexdecim millia equitum, & quinquaginta millia peditum in regio exercitu esse. Ita omnis hostilis exercitus septuaginta octo millibus hominum quintuplò nos, atque amplius excedens complebatur. Hîc, si Principes virtute animi comparare invicem volumus, Barbarum Hispano longè imparem dispiciemus. Noster enim, cùm Insulam primo adventu invadere posset, non id regium esse duxit, nisi prius capitali hoste, quem adventurum cognoverat, devicto; nec veritus est tantum barbaricum furorem multos dies cum paucis suis militibus in mole media expectare: non immemor à Philosophis, ex quorum assidua lectione voluptatem summam percipit, dici solere, præstantiam virturis circa maximè difficilia consistere. Barbarus autem non modò, cùm Regem nostrum moli insedisse nunciatum est, moram eò loci, quò convenerat, dies aliquot traxit, donec trepidantem animum confirmaret; verùm etiam, dum tempus ad consertâ manu dimicandum instaret, primum id minimè tantis viribus, quantas secum adduxerat, tentare præsumpsit: nisi & insulares suos tum secreto aliquo nuncio fretum nando transeunte, tum etiam nocturnis focis, diurnisque fumigationibus promoveret, ut eâdem, qua ipse, horâ in pugnam coirent. Neque hoc solum quidem suæ pusillanimitatis indicium dedit; atqui etiam metuisse videtur, collectâ utrinque omni barbarie, adversus nos certamen inire, si omnes uno in loco essemus: cùm ejus quoque temporis commoditatem captarit, quo nondum ex navibus celsis, quæ nuper applicaverant, in castra quispiam se contulisset. Excelsi ergo animi Rex noster Alphonsus, neque aurum sitiens, & inimicum minimè formidans, non temporum ad assequenda commoda opportunitatem, sed quæ Rege digna sunt apertâ fronte sinè dolo sequitur.

Tune-

Tunetanus verò affiduus ille bellator, ante hoc tempus invictus, nec in quibus rebus dignitas, ac ſplendor conſiſtat, vel quibus rationibus laudem, & gloriam aſſequamur, attendens, novos undique machinatur dolos. Quare non ſe gloriæ, ſed poſſeſſionis cupidum, ac de propria virtute non mediocriter diffidentem oſtendebat. Hæc ut tibi faciliora ſint cognitu, ad rei geſtæ narrationem redibo. Cum enim Rex noſter, firmatis in mole crucifero, regioque vexillis, curat, ut qui in navibus ſunt, compoſitè, atque ordinatè in eam deſcendere valeant; pridie quàm ea de re mandatum ullum faciat, Rex Pœnus & per literas, ut ſubmerſa quædam infidelium cum chirographis reperta corpora conjecturam faciunt, & focorum ſignificatione Inſulares ad impetum pariter cum eo faciendum provocat. Quamobrem tertio calendas Septembris, qui tum eluceſcebat, die, undique irruptio in nos fit. Nam qui cum Rege illo caſtrametati erant, iter habentes per molem, quam ſua in extremitate munierant, noſtras uſque proximiores ſibi ſtationes attingunt. Sed cum Regni Valentiæ Gubernatorem Petrum Corellam magni animi virum, comiteſque ſuos inſignes milites ejus præſidii cuſtodes, robore, ac probitate præditos invenuiſſent, Inſulareſque ab altera parte nihil proficere, at potius graviter opprimi ex ſuis ſpeculatoribus cognoviſſent; ſeſe prudenter à noſtris ſejungentes, intrà caſtra ſua cum parva quidem jactura, ſed non ſinè ignominia contulerunt. Qui verò ex Inſula in prælium proficiſcebantur, ita ſuas acies compoſuerant, quaſi omnis vel ſalutis, vel exitii terminus in ea die reponeretur. Congeſſerant enim ſe in unum omnes, qui ad arma ferenda non inhabiles eſſent; uxores præterea, virgines, atque infantes ſecum adducebant, ut hac præſentia confirmati pro ſua ſalute morti ſe exponere, quàm in perpetuam calamitatem, ac ſervitutem cum illis ruere mallent. Horum igitur pars, cùm ad molem perventum eſt, agmine denſo ad oppugnanda noſtra præſidia præmittitur: reliqui juxta ingreſſum molis cum fœminea turba rei eventum expectaturi, pugnamque, ſi opus fuerit, dehinc ſuſcepturi, greſſus figunt. At contra hujuſce præſidii noſtri Præfectus, miles præclarus, ex illuſtri Aragonum genere Jacobus, ætate quidem adhuc adoleſcens, vir-

tute verò nemini cedens, cùm barbaram procellam approximare non ſinè periculo noſtro videt, è caſtris proſiliendum cenſet. Primus ergo cæteris viam in hoſtem pandit, eumque armata juventus ad numerum trecentorum ſequitur. Acerrimus hoc in loco fit concurſus, barbaris mortem contemnentibus, Chriſtianis eam nihil abhorrentibus: illis pro ſalute, his pro ſua dignitate, Principis laude, ac Dei gloria certantibus. Erat autem Princeps in loco, ex quo omnia rectè in tanto diſcrimine ſpeculari poſſet; neque ceſſabat, qua eſt, propè divinâ ſapientiâ, cuncta moderari, ac providere. Appetentes enim ad bellum prodire, & jam eò properantes, hos continebat, illos magis incitabat: alios ad præſidia in locum eorum, qui primi ad dimicandum ierant, mittebat: hinc tormenta bellica amoveri, illuc conſtitui jubebat. Neque ita unam in partem intentus erat, ut alteram negligeret; ſed omnia mirâ celeritate procurabantur, quaſi duo haberet corpora, unum adverſus Pœnos, adverſus Inſulares alterum ſummo ſtudio intentiſſimum. Aliquamdiu incertus fuiſſe Mars viſus eſt, in quam partem inclinaret; ſed tandem æquus judex: qui tanti roboris trecentos eſſe, quanti barbarorum millia plura intuebatur: milites noſtros vehementer confirmat, ut hoſtes vim tantam ſuſtinere non poſſent, ac greſſu retrogrado nos victores eſſe fortiter tantùm reſiſtendo paterentur. Tum Hiſpanis adauctæ vires; idque perfectum eſt, ut pluribus interemptis, ac mole undique barbaro ſanguine reſperſâ, inimicos ſæpius ſe inſtaurare conantes, per duo millia paſſuum ſupra molem inſequendo, confoſſos vulneribus, atque exangues in ſuam Inſulam rejicerent. Conſtanter & novam cum reliqua acie, quæ adhuc immota perſtiterat, pugnam ſuſcepturi erant, non dico exſuſcitaturi, temerarium enim id fuiſſet; ſed poſteaquam illos certamen non appetere cognoverunt, ipſi quoque victores ad ſigna redeunt. Gemina hæc de gemino exercitu eâdem horâ parta victoria Sereniſſimi Principis noſtri mentem ſolicitat, ut quod mente gerit, maturare non tardet. Diem igitur ſecundam menſis Septembris ad extremam dimicationem cum Tunetano Rege committendam deſignat. Interea ordinat acies. Tum nobiles, ac cæteros inſignes viros, tam armigeros,

pedi-

peditesque secundùm gradum, probitatem, telorumque, atque armorum diversitatem, certis quosque locis collocat. Scaphas, lintres, ac scalmos, omneque minutum navigium, quod nuper in centenario illo numero non computaram, diligenter artificiis, solertiâ, ad belligerandum instrui mandat. Balistarios, pixidarioque, pleroque item alios & missilia, & non missilia tela gerentes ex omni cohorte deligit, qui cymbas illas præstitutâ die conscendant. Audi, obsecro, Pater optime, quæ Principem meditatio ad hoc moverit: cernebat hostes in mole per satis notabile spatium remotè à terra *barreras*, (sic enim ea præsidia, quæ nos *bastidas* dicimus, appellant,) munitissimas nobis oppositas struxisse, quibus proxima erant siu Regis tentoria: ut nullus ad ea per molem transitus, nisi validâ exercitus sui parte prostratâ, devictisque munimentis, patére posset. Quare intelligebat, ita se illos aggredi oportere, quod dum superantur, ac præsidia invaduntur, nulla Regi barbaro facultas ad fugam interim supereſſet. Itaque se, quemadmodum dictum est, parat: ut dum acies pugnam in mole excitabunt, navigia illa per exiguum mare circa latera molis remigando, partim ad littus usque penetrent, hoste cum barbaro comitatu medio inter ipsa, & acies relicto: partim ante ipsius hostis faciem se constituant. Deinde in circuitu cædendo, pixidibus, balistis, missilibusque illos premant. Sic factum esset, ut à dextris, atque sinistris, ante faciem, & post terga oppressi, vel universi perirent, vel depositis armis, ad Regis nostri clementiam implorandam confugerent. Erant enim navigiola hæc plura centum quinquaginta; si & ea, quæ *brigantinos* vulgus vocat, numeramus. Hac in sorte Rex ille inter barbaros præstantissimus cum filio Rege, cum primogenito Regni, cum septem nepotibus, cum plerisque agnatis, cum pulcherrimo Procerum choro extitisset. Appropinquabat dies hic præclarissimus, quo facinus hoc immortale perpetraremus: cum tantam gloriam invidens fortuna è nostris manibus eripit; ea tum ut non prorsus iniqua judicaretur, celebertimâ aliâ nos victoriâ potiri non prohibet. Calendis namque Septembris, cùm undique ad molem confluereмus: suspicatus Rex Tunetanus magnum aliquid agitari, omni sublatâ morâ, priusquam

nos componere valeamus, ſuos prodere, & in certamen dictis, ac factis nos provocare jubet. Tum ex illis ferino impetu in præſidia, quibus præerat magnanimus Comes Regni Siciliæ Joannes Admiratus, viginti millia feruntur: ea totis viribus oppugnant: in propugnatores, cum ſui copiam, regio mandato vigente, nonniſi ad defenſionem facerent, verbis impudenter, ac latratibus invehuntur; neque ii tantum pertinaciter contendunt, verùm etiam alii inceſſanter ſuperveniunt. Tandem qui in præſidiis erant, neque tantas contumelias ſuſtinendas, neque majorem vim expectandam putantes, nonnulli in medios hoſtes irrumpunt, ſeque illis virtute ſuperiores, cum numero longè impares eſſent, reddere ſtudent. Utrinque initio fortiter pugnatur, nec quiſquam loco referre pedem cernitur. Cùm verò ex paucis cadere unus, ac plures cœperunt; vidiſſes cæteros pedetentim, quò magis valebant, retrogradi: rurſus & occurrentes alios, atque aciem inſtaurare volentes vulneribus confodi, Manibuſque Diis dono dari. Amiſimus & nos præcipuum militiæ decus, ac ſpecimen nobili ex Aragonia, ac præclaro Herediæ genere ortum Joannem Ferdinandi. Is dum ſtrenuè in hoſtem ſævit, exanimemque unum poſt multos ad terram dejicit, à ſuperveniente alio ingentis proceritatis barbaro huic guttur, atque inguen *zegaja* transfoditur, non prius tamen ſpiritum exhalaturo, quàm ſe de occiſore ulciſceretur; verſus namque in illum pugione vibrato, morienti prius hoſti, ipſe Deo devotam animam reddens, omneſque omnis ſtatus homines, qui in exercitu eſſent, deſolatos, infelicem verò parentem unico, atque unicè dilecto orbatum filio relinquens, incubuit. Jam magnus ad utranque aciem fiebat concurſus, coacervabaturque utrinque virorum globus. Sed barbari molem cadaveribus ſuorum ſtratam intuentes, de fuga potius, quam de nova reſiſtentia cogitare incipiunt. At verò nos, & hoſtiles vires debilitatas, & noſtras adauctas intelligentes, multò illos gravius inſequimur, confodimus, jugulamus, atque ita deterremus, ut plures ſe in mare armati præcipitent; reliqui ad ſuas illas arces trabeas confugientes occaſionem nobis ad eas ipſas occupandas præbeant. Nam, dum eas metu attoniti, ac velut amentes ingrediuntur,

cum

cum illis pariter eò intrudimur. Hoc in loco quibuſdam ad eos, quos ibi comperimus, trucidandos, ad ſtructuram omnem diruendam, ac ſolo æquandam relictis, fugientes cæteros uſque ad Regis ſui tentoria inſequimur. Tuæ ſit ſapientiæ, Pater præſtantiſſime, cogitare, quis Regis illius animus, quæ mens fuerit: cùm exercitum ſuum, cui victoriæ palmam parabat, vel diſperſum, ac turpiter fugatum videt: cùm trabeas ſuas turres, quas tanto ſtudio munierat, nuſquam apparere conſpicit: cum eum Regem ſuis ſtationibus imminere cernit, quem ex ſolido ſolo dejicere, atque in volubiles carinas eo ipſo die cogere ſperabat. Fuit tamen non exigua ipſius in tanto ſtupore, ac tumultu calliditas: qui cùm dubitaret, an ſibi tuta ſupereſſet fuga, niſi fortius nobis obſtaculum objiceretur: dum ſenio ferè, ac mœrore confectum celeri equo imponere ſui cuſtodes volunt: renuens, atque diſſimulans ſe mortem potius appetere, quàm fugam, ita circumſtantium plurium illuſtrium Principum corda incendit, ut ſtatim ſinè cunctatione obvios ſe nobis exhibeant; prælumque id, quod pene irreparabile videbatur, inſtaurent. Sic partâ ſecuritate, callidus Rex docuit, nuper dicta illa verba virtutem redolentia non vera, ſed fucata fuiſſe: à pugna enim equo ſe ſubtraxit, perſequentem ſe, vel mortem, vel captivitatem, donec evaſiſſet, fugiens: vitam, ac libertatem fugientes, donec comprehendiſſet, perſequens. Eundem in modum ejus filius Rex Bogiæ, nepos ex filio in Reguin ſucceſſione primogenitus, nepotes alii, duobus exceptis, primorum, atque inſignium militum ſinè nomine multitudo, ingentiſque illius telorum ſylvæ quod reliquum erat, vincula noſtra, gladios, bipennes effugerunt. Qui verò certamen conſtanti animo inierant, fortiter, atque intrepidè pugnando cæſi, cruore ſuo noſtræ hujus victoriæ curſum, quam alioquin ſui Regis captivitas uſque ad ſydera tuliſſet, interruperunt. Eam tamen clariſſimam eſſe, cunctiſque theſauris anteponendam moriendo faſſi ſunt. Erant quidem inter eos duo Regis nepotes: erat gener unus, erant alii de Regia agnatione. Aſſerebant, me audiente, qui ſe noviſſimè ad nos contulerunt, Chriſtiani transfugæ, hîc præter eos, quos explicavi, fuiſſe interemptos viros ampliſſimos, ac Regni Proceres

ceres triginta primos: qui vel regio lateri assidêre solerent, vel auctoritate, sapientiâ, dignitate apud eum plurimum possent. Taceo, quem aliis egregiis viris numerum facerent, quam plebis stragem referrent. Horum necem subsequitur tentoriorum invasio; idque actum est, ut cui victo in crastinum invictissimus Rex noster daturus hospitium fuisset, ejus ipse Regis umbraculo victor nunc tegeretur. Accedit ad hujus victoriæ splendorem, quod Regis inimici prima vexilla, quod clypeus, galea, pugio, quod pleraque alia suo usui deservientia in nostram potestatem pervenerunt: quod viginti duo muralia tormenta, quæ *bombardas* appellamus, atque alia bellica munimenta delata in nostra castra conspeximus. Frustra erat hostes celeribus equis fugam facientes, sole præsertim fugiente, per terras incognitas insectari; quare mandato accepto, in suas quisque stationes regreditur. Nihil jam supererat, nisi ut Insula nostra fiat. Itaque superiori illo consilio, cujus omne implementum in diem secundum mensis congerebatur, mutato: quia hostis, cum quo dimicaretur, non aderat, victricia, eo ipso die, signa in Insulam dirigimus; succesissentque nobis ad votum omnia, si non plus hodie alimentorum penuria, quam infinita heri, ac nudius tertius hostium cohors ad nos, vel ex mole, vel ex omni Punico mari pellendos potuisset. Excesserat enim mensis, quo ex Regno Siciliæ navigaveramus, exhaustaque erant alimenta ob diutinam illam moram in sterili mole factam. Jacebat sitibundus miles exanimis penè, reditum potius ad Syracusanos fontes, quàm ad Gerbinianas opes progressum desiderans; nec satis unde sitim excuteret, inveniebat. At quippe Rex barbarus penuriæ nostræ ignarus, calamitatem verò suæ Insulæ impendere videns, Legatos pro pace, amplissimis oblatis conditionibus, impetrandâ, confestim ad Principem nostrum mittit: quæ dum sedulo tractatur, Rex noster misericors, optimè de se meriti exercitus incommoda sustinere amplius non valens, ac illis & molestiam rapiens, & occurrere, ac mederi satagens, infecta pace, atque illæsa Insula, proras in Siciliam celebri Virgineæ nativitatis die vertit. Nullam, quam dies corrumperet, nobiscum prædam reportavimus; sed victoriam, si tempus attendimus, mirâ celeritate: si locum, magnâ constan-

ſtantiâ? ſi copias, incredibili corporis, atque animi robore partam: victoriam conflictu, cæde, prædâ nobilem, nullaque avaritiæ fæce coinquinatam: victoriam, quæ non modò Principis noſtri nomen, ſed etiam omnium, qui à Chriſto vero Dei, ac Virginis filio nos Chriſtianos vocamus, perfidis barbaris dehinc tremendum reddit; victoriam denique, qua nemo non expers rationis præſtantiorem, pro ſuis ſudoribus, fructum nullum in ſe conferri poſſe credit. Hujus unius conſcientiâ cum Rege noſtro victore fruemur, laudemque omnem exemplo ejus, non propriæ virtuti, ſed Dei, ac Domini noſtri Jeſu Chriſti clementiæ tribuemus. Quod ſi fortè ſacra illa fames auri nos aliquando ſolicitarit, qua non, (ut plerique immodicè affectabant,) ſaturati ſumus, excellentioris hujuſce præmii compenſatione reficiemur. Rem omnem, Pater Reverendiſſime, ab initio ut geſta eſt, tenes, pluribus fortaſſe verbis, quàm dici potuiſſet; paucioribus tamen, quàm ipſius dignitas exigebat. Sed mos tempori, atque inſtituto meo gerendus fuit: ut qui epiſtolam ad te maximis rei Catholicæ curis intentiſſimum daturus eſſem, neque hiſtoriam hodierno die conſcriberem, nec tuam mihi ſemper verendiſſimam Dominationem nimiâ prolixitate, rerumque ſingularum diffuſo proceſſu, tædio afficerem. At verò; ſi hanc dicendi copiam non me defugiſſe contendere voles, equidem non contradicam; ſi te, qua es animi manſuetudine, exorari patiêre: ut cùm id vel propoſitæ rei amplitudini, vel meo in te amori, qui me ab hoc ipſo tecum inito ſermone divelli non patitur, magna ex parte attribuendum videris; tum etiam illud officii fuiſſe animadvertas, non modò rerum comprehenſarum fuco meam illam ex ſcribendi tarditate contractam maculam me diluere; ſed etiam ubertate, quicquid in me noxæ fuerit, corrigere, ac reſarcire. Vale ex Syracuſis Decimo Calendas Novembris 1432.

GUI-

GUINIFORTI BARZIZII

AD JACOBUM DE ABIATE

DUCALEM CAMERARIUM

Epiſtola in ſuos Commentarios in Dantem.

ETſi Ducis noſtri invictiſſimi voluntas, Jacobe vir clariſſime, tanti à me fieret, quanti par eſt ejus Principis imperia exiſtimari: cui me, ut naturâ procreatum, ita mea ſponte devotum profiteor, divinoque munere acceptum, charumque ſentio; nullâ profectò ratione impelli potuiſſem, ut Theologi Poëtæ excellentiſſimi Dantis Comœdiam, opus nempe difficillimum enucleare, inſolito mihi dicendi genere, tentarem. Deterret enim me, (ut alia pleraque taceam) rei ipſius amplitudo, quam planè video nobilium omnium diſciplinarum poëticæ præſertim, hiſtoricæ, moralis, ac theologicæ cumulum in ſe coarcevaſſe: quæ quidem vel ſingulæ non ſegne, ac jejunum, quale meum eſſe non nego; ſed & perſpicax, & eruditiſſimum ingenium deſiderare noſcuntur.

Quàm novum autem mihi latinis literis dedito futurum ſit, ſecreta, abditaque altiſſimarum doctrinarum verbis vulgaribus aperire: etruſco ſermone, quæ mente conceperim, non incorrutè depromere, facilè quiſque rerum non prorſus ignarus judicare poteſt. Sed prævaluit & veneratione, cultuque digniſſima Ducis noſtri excelſa præſtantia, & integerrima in Celſitudinem ſuam devotio mea: quibus efficitur, ut minimè viribus meis diffidam, quas tam debito officio ſubeundo erigi, ac roborari neceſſe eſt. Quis enim ei Principi non libentiſſimè obſequetur: qui ſuorum progenitorum ſplendore illuſtriſſimus, nunquam tamen id ſibi ad veram gloriam ſatis eſſe putavit: niſi & ipſe non modò ſimilem ſe illis redderet, ſed eorum etiam laudes anteiret? Quis in eo Principe colendo non maximè confortabitur: qui cùm ſæpiſſimè adverſam fortunam, præter multorum expectationem, ſuâ & fortitudine, & prudentiâ ſuperaverit, eâ modeſtiâ ſemper extitit, ut nunquam à ſecunda ſe vinci paſſus fuerit? Quis ejus

Prin-

cipis non diligentiſſimè inſerviet commodis, in quo (niſi mentiri volumus) heroicus omnis Italiæ ſtatus, externorumque populorum, Ducum, ac Regum, qui ſuam latè potentiam terrâ, marique extenderunt, tranquillitas non mediocri ex parte recumbit? Hunc tanto dignum cultu Philippum Mariam Ducem Mediolanenſem intuemur: quem rebus vel pacis, vel belli antiquitati planè adæquabimus; ſi geſta ſua non quaſi agrimenſores latitudine terrarum, aut nummularii multitudine hominum; ſed quaſi virtutis exploratores magnitudine animi, ratione conſiliorum, negotiorum explicatione, adminiſtratione rerum metienda putaverimus. Injuſto Marte ſæpius agitatus hic Princeps magnanimus, vehementiſſimèque ab his concuſſus: qui vel pro ipſius incolumitate ſeſe morti exponere humano, divinoque jure debuerant, vel nullâ injuriâ laceſſiti, felicitati magis invidebant ſuæ, quàm ullum ab eo metuerent detrimentum: eâ ſemper fortitudine, & conſtantiâ impetus hoſtium excepit: eâ prudentiâ, rebus etiam interdum penè deſperatis, extrema cum à ſe, tum à ſociis pericula propulſavit, ut conſervatis illis, eminentiſſimum ipſe dignitatis ſuæ faſtigium contra omnem vim teneat. Rebus autem ſecundis quanta moderatione ſit, certiſſimum tu afferre teſtimonium potes, vir integerrime: qui cum pro ſua in diligendis hominibus ſapientiâ, tuaque ſpectata fide, modeſtiâ, ſedulitate, ſolertiâ, cum ipſius quotidie lateri aſſiſtas, eandem ſibi faciem, eandem ſermonis, ac geſtus gravitatem, eandem in convictu humanitatem ſemper ineſſe conſpicis, nec ullum inſolentiæ, aut faſtus in eo ſignum percipere unquam valuiſti. Ejus verò clementia jam non ſingulis hominum linguis, ſed uno, & quidem clariſſimo Orbis rumore prædicatur. Ea enim tam latè, longèque diffuſa eſt, ut & caſibus adverſis aliundè jactati nobiles, ac generoſi viri, quicumque ad ipſam confugerunt, ſe inani ſpe ductos minimè adhuc querantur: & qui ad eam extinguendam armati ſæpe conatus omnes adhibuerunt, victi non modò illam non obſcuraverint, conſueta bellorum præmia referentes; ſed facilè indulgentiam aſſecuti, beneficiiſque inſuper cumulatiſſimè ornati, ampliorem multò, illuſtriorem que reddiderint. Quorum ſeriem attendere paulò diligentius ſi quis volet, nullum hoſtilitatis ge-

nus ejuſce clementiæ expers inveniet. Ex eorum namque numero, qui deſiderio dominandi cupidè in dimicationem prodierunt: qui gloriæ ambitione ducti ſuperbè magno apparatu bella moverunt: qui rerum novarum ſtudio temerè ad arma concurrerunt: qui deteſtabili conſilio ſceleratè, crudeliter, perfidè gladios in viſcera patriæ converterunt; nec magis Regnum, quàm ipſam Principis ſalutem impetere videbantur; ex horum, inquam, numero tam vario, tamque multiplici, plerique mira virtute ſuperati, & in victoris poteſtatem redacti, plus ferè commodi captivitate reportarunt, quàm victoriâ ſe adepturos ſperaverant. Non hæc pro libito ipſe confingo: Requirantur omnes oræ Italiæ, quantum ſe Apennini juga ab Alpibus uſque ad gemini maris confinia porrigant: ſingulæ certè ſententiam meam confirmabunt. Ejuſce rei ſe conſcias, atque participes Tranſalpinæ quoque nonnullæ, ac Tranſmarinæ celeberrimæ Regiones aperta voce fatebuntur. Nulla tam ſemota ab hominum congreſſu barbaries convenietur, quæ ſibi tunc primum hoc auditum, cùm eam conveneris, dicat. Reliquum illud ordine proſequendum eſſet, quod tertio loco paulò antè propoſueram: commune ſcilicet præſidium multorum & populorum, & Principum in noſtro hoc potentiſſimo Duce repoſitum. Id equidem proſequerer, & planum facerem, niſi tacitè ab his, quorum intereſt, animo advertì mallem, quàm mea oratione explicari. Quanquam enim ex eis nonnulli monitore indigere ſe doceant, quos pium eſſet vel quaſi dormientes expergefacere, vel tardos incitare, vel pertinaces arguere; is tamen ego non ſum, qui mihi tantum vel auctoritatis, vel eloquentiæ arrogare velim; ut quemadmodum in fabulis Orpheus vel movere montes, aut flumina ſiſtere me poſſe confidam. Cæteras virtutes, quas à pleriſque negligi, ab hoc ipſo, de quo loquimur, Principe ſtudioſiſſimè coli intelligimus, enumerarem: innumerabilia penè ſua fortiter, & magnificentiſſimè facta huic de ſe inchoato ſermoni inſererem: ex ſapientiſſimis ejus dictis ſaltem aliqua recitarem: quæ me in conſpectu vocem ipſius audientem, oculorumque, ac facici graviſſimos fixè intuentem motus, in tantam aliquando ſapientiæ ſuæ, magnitudiniſque animi admirationem duxerunt, ut nunquam in eorum profundam cogitationem

tionem deſcendam, (mihi teſtis eſt Deus), quin totus ob ſtuporem & ſanguine, & capillis ſenſibiliter rigeam; denique vel ſingula prædicatione digniſſima, vel ſaltem eorum genera, quanquam impari oratione, percurrerem, ſi differendas laudes ſuas hoc loco deſumpſiſſem: quarum aliquas meo incompto ſermone recenſere volui, non tam celebrandi nominis ſui cauſa, quod ſummam eloquentiam meretur, quàm ut me intelligeres, in Deum conjecta ſpe, minimè ſubvereri: quin & tanti Principis imperio, & mea devotione impulſus animus ipſe meus ſibi deditiſſimus, quò magis ardua, inſuetaque aggreditur, eò firmioribus nervis, validioribuſque ad ea inſurgat viribus; nec ſibi quicquam difficile putet fore, ad quod tranſigendum non prorſus ineptus à tanto Principe judicetur. Hinc igitur confirmatus, vir ſpectatiſſime, huic negotio me implicari non ſolùm patior, verùm etiam gaudeo. Ac eò quidem alacriùs ad illud accedo, quod tantum in hoc philoſophico, vel potius theologico Dantis poëmate artificium, tantam ſuavitatem, tantam ad extirpanda vitia, ad reformandum animum, ad inſerendas virtutes doctrinam ineſſe: tantum ad omnem vitam, ſive politicam ſequimur, ſive contemplationi magis vacare libet, rectè inſtituendam, auxilium inde repeti: tantam utilitatem hauriri conſpicio, quantum haud ſcio, an omne reliquum ſit, quod ipſa humanitatis ſtudia conferunt. Hoc verè dici confirmarem, niſi & tu, quem nihil dignum ſcitu latere poteſt, exploratiſſimè id teneres, & ſtatim res ipſa probationem de ſe certam eſſet paritura. Sed jam quid verbis minimè neceſſariis te detineo, nec juſſa exequor, nec ad id, quod noviſſimè dixi, ad rem ſcilicet animos eorum converti fino: qui meam hanc ſcribendi prolixitatem contemnere fortaſſis pro ſua humanitate nolunt? Equidem has ob res hîc finem ſtatuam, nec diutius morabor. Sed qui ineas potius exaudire increpationes, quàm aliorum querelas expectare interdum ſoleo, perdifficile, ac longum mihi propoſitum iter in Sancti Spiritus lumine ingrediar. Erit autem ea mihi præcipua cura, ut quæ aſpera invenero, lenia reddam, quæ dura, molliam, quæ ardua, explanem, ac veluti ſolo exæquem. Humile ſequar dicendi genus, quantum rei natura, & ſententiarum permittet gravitas;

neque exquiſitis vocabulis, ethruſcis præſertim ab noſtra locutione remotis, uti pulchrum exiſtimabo, Cùm enim plebejis verbis locuturus ſim, quemadmodum & Auctor noſter, quem ſequimur, cùm literatiſſimus eſſet, agere præelegit; patriæ certè noſtræ, quod optimo placet Principi, in primis conſulendum eſt. Ita fiet, ut peregrina quæque vocabula, ab noſtrorum civium ſermone multum abhorrentia, non ex eorum vel ignorantia, vel contemptu, ſed & conſulto, & juſta ex cauſa relinquamus. Illud quoque me obſervaturum profiteor, ut neque in obſcuris ſententiis declarandis varias opiniones, vel ad oſtentationem adducam, vel ſi res poſtulet, prætermittam; neque illas ad inanem quamdam gloriam, quaſi acie inſtructa, ſingulas oppugnem. Neque verò laudabilem apud omnes ſcholaſticum potius in commentando, quàm aulicum imitabor modum. Sed quacunque id ratione fiat, eorum inſervire conabor ſtudiis, quos potiſſimè ad hoc opus ſe applicaturos puto. Si quid minus ſcitè, minuſve compoſitè à me dicetur, quod pluribus locis futurum vereor; tua quæſo prudentia, vir humaniſſime, apud excelſum Principem me ab omni & temeritatis, & negligentiæ culpa protegat; qui neque hanc ſarcinam à ſua Celſitudine mihi, te referente, impoſitam expetivi, ſed devotè, ac reverenter excepi; & poſthabitis magna ex parte non ſolùm rei familiaris, ſed & conſervandæ valetudinis meæ, & rerum curis, nullum temporis ſpatium ſtudiis vacuum prætermittere fas putavi. Imperitiæ verò argui minus timeo; in tua enim benevolentia, tuoque ingenio & acutiſſimo, & in primis erudito conquieſco: quibus meam velare inſcitiam & voles, & aptiſſimè poteris. Tu ad defenſionem pro me, ſi opus fuerit, ſubeundam paratus eris. Ego divina ope, ut ſpero, ſuſtentatus id curabo; non ut ejus, quæ de me habetur, expectationis tuendæ patrocinium à te ſuſcipi oportere videas; ſed meæ dignitatis amplificandæ rationem haberi æquum eſſe intelligas. Jam ergo in rem præſentem veniam; manus tamen ad Poëtam noſtrum celſi ingenii, ac multæ ſcientiæ Dantem Aligerium non prius extendam, quàm rationibus altius repetitis, cauſam docuero, quæ ipſum ad morales, theologicaſve ſententias, & quidem poëticè vulgari lingua ſub titulo Comœdiæ tradendas

dendas moverit. Munuſculum hoc, qualecunque eſt, illuſtriſſimo Principi noſtro, & excellentiſſimo Duci velim offeras: quod ſuæ Majeſtati Guinifortus Barzizius tuus ad Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti laudem, ſub Beatæ Mariæ Genitricis ejus ſemper Virginis protectione humiliter, ac devotiſſimè conſecrat.

GUINIFORTUS BARZIZIUS JACOBO DE ALZATE S. P. D.

MAgnas habeo tibi gratias, mi Jacobe, quod ſolus ex omnibus literas ad me dediſti; temporum autem perturbationi attribuo, ſi unas tantum accepi: cùm tibi vel loci frequentem mutationem, vel tabellarii penuriam impedimento fuiſſe conjectem. Ego verò ſi nullas unquam vel minimas quidem ad te ſcripſi, non id oblivioni, aut negligentiæ imputabis; ſatis enim tibi meus in te animus perſpectus eſſe debet, qui tantus eſt, ut tui nunquam immemor fieri poſſim; neque ignoras, quàm abhorrens ſemper otii, & quietis fuerim. Sed quanquam hæ rationes à calumnia defenſare me videantur, neceſſe tamen eſt, fatear, me in ſcribendo victum eſſe, cùm primus interpellaveris, diuque ſolus velut in campo conſtiteris. Te, mi Jacobe, laudo, hortorque, ut tuis me ſæpe literis excites; hoc namque unum eſt, ex quo maximam voluptatem ſuſcepturus ſim. Ego quidem quidquid temporis ſtudiis meis, atque aſſiduis exercitiis ſurripere potero, id ipſum libenter in tranſmittendis ad te epiſtolis conſumam: quanquam enim aliorum in me benevolentiam ex abſentia minimè labefactatam exiſtimem: habeo tamen meo judicio neminem ex omnibus, cui æque, ac tibi amore devinctus videar. Vale, & me, ut facis, non minus abſens, quàm præſens ama. Huic colligatam ad te mitto eam oratiunculam, quam ſuperioribus diebus in hac Civitate habui, non quod dignam exiſtimem, quæ divulgetur, ſed ut morem tibi geram. Ex Novaria decimo nono Calend. Septembris 1431.

GUI-

GUINIFORTUS BARZIZIUS
FR. NICOLAO ANSALONO CARMELITÆ
S. P. D.

QUo die ſpectatiſſimum virum Joannem Olcinam Regis à ſecretis cum explendi officii mei, tum & amicitiæ ſuæ impetrandæ cauſa, conveni, ex ejus ſermone te in hac Urbe eſſe cognovi. Ajebat enim te proximis diebus, cùm fortè patris mei Oratoris, & Philoſophi memoriam ageretis, multa non ſolùm ad immortalem ejus laudem, ſed etiam ad ſingulare meum ornamentum ſpectantia, quæ tua in nos erat charitas, diſſeruiſſe. Incredibilem certè ex integerrimi hujus viri teſtimonio voluptatem ſuſcepi; tum quod te præſentem intelligebam, quem à teneris uſque annis amare didiceram; tum quod veteris illius conſuetudinis, quam cum optimo patre habueras, longa primùm intermiſſio, ac deinde ipſius morte ſupervenientè privatio, non modò jacturam nullam priſtinæ benevolentiæ attuliſſe, at potius illam vehementi & in nomen ſuum, & in poſteros deſiderio cumulaſſe videbatur. Tua verò dignitas, Pater venerande, illius, penes quem ea referebas, præſentia, integritas, ſapientia, temporis occaſio, atque opportunitas maximam huic meæ voluptati adjectionem fecerunt. Nam cùm ex patria in hoc celeberrimum Regnum eâ ſolùm ratione profectus eſſem, ut Sereniſſimo huic Principi, ac Regi clementiſſimo animum deditiſſimum patefacerem, omnemque induſtriam meam, quantacunque eſt, devoverem; quid aliud eſſe poterat, quod mallem, quàm ut ab homine & gravi, & religioſo bona de me exiſtimatio penes eum excitaretur: cujus non ſolùm fides, atque ſolertia ab illuſtriſſimo ipſo Principe delecta eſt, ſed etiam opera, atque auctoritas apud ſuam Celſitudinem plurimum poteſt. Tua enim bonitate effectum eſt, ut non tam pro humaniſſimi hujus viri nova gratia inundâ laborandum per me fuerit, quàm per te inſtructo fruendum. Tanta quidem manſuetudine, & primo congreſſu meo, & quoties dehinc ſuam præſentiam adire contigit, tanta affabilitate

ſemper

semper in me fuit, ut non solùm in sua virtute singularem spem collocaverim, sed & mea omnia consilia ad hunc unum referam, ad eum cum fiducia concurram, ejus patrocinium implorem, judicium observem, beneficium complectar. Cujus rei, tametsi primas virtuti suæ gratias debeam, copiosas tamen etiam in te conferi oportere nunquam negabo. Quod si me aut ingratitudinis, aut negligentiæ accusabis, quod non statim ad tuum conspectum, & salutem pro mea in te benevolentia, & gratias pro isto tuo in me collato munere dicturus accessi: cum me culpæ omnis expertem affirmavero, tum fortunam accusabo, quæ duos me continuos dies ludibrio habuit, totam penè Urbem, nec solùm Urbem, atqui etiam suburbanos vicos discurrere incassum permittens, donec te ad cœnobium Divi Hieronymi profectum intelligerem. Accessissem eò loci, nisi & mansuetissimi Regis à secretis sermone de tuo celeri ad Urbem reditu monitus essem; & me interim literis hoc penes te officio fungi posse animadvertissem. Nunc itaque has ad te scribo, Pater optime, quæ meam omnem in te benevolentiam declarent; quæ pristinam olim cum patre Gasparino Philosopho, ac Rhetore, cum Nicolao fratre juris Pontificii, atque artium Doctore amicitiam tuam vel renovent, vel confirment: quæ mentem meam ab ipsa pueritia tibi devinctam denuo astringant. Instarem precibus, ut illas benignè suscipias, attentè perlegas, libenter exaudias: peterem, ut gratum sibi hospitium præbeas, nisi tua mihi perspecta natura, & consuetudo ad ea ipsa te invitaret, atque instrueret. Vale Pater optime. Barcinonis duodecimo Calend. Aprilis 1432.

GUINIFORTUS BARZIZIUS JOANNI HOMODEO S. P. D.

NOn prius ad te scribere institueram, Doctor clarissime, quàm de meo apud Serenissimum hunc Regem, & Principem clementissimum statu plenè conclusum esset. Sed Impelleresii constantis animi viri, cum quo mihi non parva & benevolentia, & familiaritas contracta est, respectus effecit, ut præmaturas

uras à me literas acciperes. Cupit enim ſub illo Principe veſtro Mediolanenſi Duce militare, ſuamque pro eo virtutem exercere; ad quam rem ea præſertim ratione inflammatus accedit, quod hunc unum Principem eſſe arbitratur, in quem digniſſimè officium tale impendi conveniat. Judicavit autem commendatitias meas non mediocre ſibi adjumentum allaturas. Ego verò cùm id ipſum muneris pro ſe impigre ſuſcepturus eſſem, te unum delegi, penes quem preces meas plurimum valituras putarem. Neque ab re alienum credidi, quod Doctorem celeberrimum in literarum ſtudiis enutritum, ad militaria negotia patronum invocem: tum quod tua cunctis in rebus integritas mihi perſpecta eſt: tum etiam quod auctoritatem ab iis magni fieri non ignoro, ad quos vel deligendorum, vel admittendorum militum provincia ſpectat. Hunc itaque virum egregium in armis ſæpe alias, ut percepi, exercitatum, cui neque animus, neque fides, neque vigilantia ulla in re defutura eſt, tanto ſtudio tibi commendo, ut nihil abs te majori deſiderio expoſtulaturus ſim. Fac quæſo intelligat, quàm præclaros in ea Urbe amicos reliquerim, quam, ut me ipſum magnificentiſſimo huic Regi condonarem, deſerui; nec ſuam patriæ, quam in me repoſuit, ſpem falli. Tua in hoc prudentia verſetur, ut ea in legione ſit, in qua ejuſce probitas potiſſimum clarere poſſit: tua ſolertia ſibi opem in hoc ferat, ut non diu in ambiguo pendeat: qui, ut otium fugeret, immo ut majus negotium inveniret, veſtram in Regionem ſe contulerit. Non dubito te pro tua & excellenti natura, & in me ſingulari charitate omnem operam in hoc viro promovendo adhibiturum. Ego quoque, ſi quid in hoc Regno pro tua dignitate, pro amicorum ſubſidiis vel in præſens, vel in futurum potero, non ſolum tuis monitis, ſed etiam, quàm longè prævidero, diligentiâ, & ſolicitudine præveniam, atque anticipabo. De meo ſucceſſu ex his, ad quos proximis diebus ſcripſi, intelliges; ex me autem ſcias velim; quod ex eo die, quo Sereniſſimi Regis verbo in ſuum clementer aſſumptus fui, nihil aliud confectum eſt, maximis occupationibus aliis, ac Status ſui curis & ſententiam illam, quam de me tulerat, & votum meum retardantibus. Interim tamen ſuaviſſimo, ac pretioſo quodam fructu locupletatus ſum, qui eximiam

niam gravis, ac ſapientiſſimi Viri Joannis Olcinæ à ſecretis Regis amicitiam familiaritatemque mihi pro ſua humanitate comparavi. Cujus cùm maxima penes Regiam Majeſtatem ſit auctoritas: tum & ſingulare in his honorandis, atque augendis ſtudium, quos aliquando in benevolentiam ſuam recipiendos putarit; ſpero brevi diem illum, ſuo beneficio, videre, quo ſtatus mei certior ſim. Tunc copioſas ex me literas habebis. Vale, meque, ac meos omnes, quos in patria reliqui, ut commendatos habeas, vide. Barcinonis nono Calend. Aprilis 1432.

GUINIFORTUS BARZIZIUS
DALMATIO CÆSAREÆ AUGUSTÆ

Archiepiſcopo, & Sereniſſimi Regis Aragoniæ Generali Cancellario, ac Senatori.

S. P. D.

HEſterna die, Reverendiſſime Pontifex, tanta in me fuit tua manſuetudo, atque benignitas, ut nullum dehinc temporis ſpatium præterierit, quo non meam mentem humaniſſimus ille tuus ſermo, verendiſſimuſque aſpectus memoriâ tui, ac devotione ſolicitaverit. Hodie verò eximia illa, quæ in me tum audiendo, tum monendo extiriſti, charitas, eas animo injecit faces: ut nimia tui veneratione incenſus, hoc unum officium meum putarim digniſſimum omnibus his rationibus, quas meæ mihi facultates concedunt, ſingulis momentis, ſempiternas tibi pro merito in me tanto gratias agere. Itaque, Pater humaniſſime: cùm & in hoc mihi Regno, in quo adhuc peregrinus ſum, ad gratiarum actiones lingua tantùm, & calamus ſuccurrant, nec te pro tua virtute aliud deſiderare conjectem: voce quidem apud omnes tuam in me clementiam prædicabo; ſtylo autem id perpetuis literarum monimentis, ut committam, ſummum aliquando ſtudium, atque operam adhibebo. At verò ut apud te ſit, quod dies, ac noctes nunquam tui me immemorem futurum affirmet, has quaſi teſtes mei in te deſiderii literas inſcribo. Di-

cent quidem, præstantissime Præsul, cùm superioribus temporibus celeberrimâ tui nominis famâ impulsus te amaverim, præcipuèque animo veneratus sim, nunc in admirationem quandam, atque immensam tuæ virtutis existimationem adductum esse. Audiebam enim antea cum multorum sermone, tum certissimo strenui militis Hugonis de Villafranca, quem hujus meæ profectionis ducem divinâ providentiâ habui, testimonio, maximam tibi præstantiam omnibus penè in rebus, quibus immortalitatem mortales adipisci videntur, attribui. Nobilitatem generis, ac splendorem, patriæ celebritatem, clarissimarum in his Regionibus affinitatum vinculum, potentiam, opes commemorabant; eminentissimam Pontificatus in Aragonia dignitatem, gravissimam in Senatu auctoritatem, præclarum de tua sapientia Serenissimi Regis judicium in aperto esse dicebant: cum & Cæsareæ Augustæ regiæ Urbi Archiepiscopus præsideas, & amplissimi Senatus princeps, ac veluti caput, totiusque Regni generalis Cancellarius appelleris. Prudentiam verò in cunctis rebus dispiciendis, ac maturitatem: pulcherrimarum disciplinarum cognitionem, ac scientiam, justitiam, fortitudinem, constantiam, magnanimitatem, magnificentiam, affabilitatem, mansuetudinem, benignitatem; ac denique in omni tua vita castitatem tantam, modestiam, atque integritatem esse ajebant, quantam vix in alio invenimus. At quamvis ea ipsa dum audirem, singularitate, atque exquisitissima laude aliqua dignissimum putarem; tua tamen præsentia, quæ multò illa dilucidius oculis subjecit, quàm prius mente concepissem, quantum admirationis attulerit, dici vix potest. Nam quid est per immortales Superos, cur eum non admiremur: qui cum omnibus fortunæ bonis gaudeat, atque adeò abundet, ut quasi felicitatem quandam adeptus in hac vita videatur: tamen ita se modestè gerat, ita se affabilem cunctis præbeat, ita de se humiliter sentiat, ut cum summa dignitate homini etiam inferioris sortis, ea in virtute, quam Theologi humilitatem vocant, non injuriâ comparandus, atque anteponendus sit? Quod si eum laudamus, qui in adversitate potens, dum à se illam declinare non valet, constanti, atque infracto animo perfert; quid de eo censebimus, qui positus in prosperitatis culmine,

mine, ac rerum omnium copia, cum voluptates sequi, cum desideria explere, cum inferiores parvipendere, spernere, contemnere, cum se extollere, atque non ferendum præbere potest, cum ad nulla necessaria suppeditanda, sed tantùm ad sobriè, castè, integrêque vivendum, frugalitate, ac temperantiâ sibi opus esse intelligit; tum ea virtute præditus est, ut se hominem esse meminerit, ut his bonis non abutatur, ut id agat, quo sicut opibus, potentiâ, splendore, gloriâ cæteris præest, ita facilitate, benevolentiâ, humanitate, continentiâ, moderatione cunctos antecellat? Itaque, Pater optime: quoniam inter cum cætera, tum & splendidissimum hoc virtutis ornamentum, speciem, ac decus elucere alienâ primum asseveratione credidi, post autem proprio sensu percepi: tanti charitatem in me tuam facio, quanti & ego ipse mihi sum conscius; & hæc una ex animo observantissimo procedens epistola significat. Cujus meriti præmium, si quod præter verba expostulas: unum illud, quod summum habeo, persolvo, immo etiam non petenti offero, tradoque, me ipsum videlicet. Quod munus si fortè minus dignum pro tanti crediti compensatione existimabis; quæso ut meam, quæ in eo exornando, cumulandoque accessura est, industriam tuo beneficio adjuves. Nam cum idem ego & donator sim, & quod donatur; quidquid certè ad me augendum impendes; id omne, nisi me respuendum prorsus arbitraberis, in tuo ære collocaturus aliquando eris. Vale. Barcinonis ex ædibus præclari militis Hugonis de Villafranca tertio nonas Aprilis 1432.

GUINIFORTUS BARZIZIUS
JOANNI OLCINÆ
Regis à secretis
S. P. D.

EX strenuo, ac generoso milite Hugone de Villafranca, mei omnis desiderii non solum conscio, verùm etiam auctore, quanta voti mei explendi cupiditate detinear, copiosius multò, apertiusque intelliges, quàm vel superioribus literis complexus

fuerim, vel novis explicare valeam. Neque verò tanti viri officio in re mea uti erubui, atqui ſuam operam ultimò imploravi; quam & tantum efficaciæ habituram confido, quantum ſua virtus expoſtulat; & fidei tantum, quantum auctoritas multis in maximis negotiis afferre conſuevit. Quo etiam fit, ut brevis in ſcribendo ſim, ne meas apud te literas ſermonibus ſuis prætuliſſe videar. Statuo igitur epiſtolæ finem, militi huic ſapientiſſimo cauſam omnem perorandam relinquens; ſi tamen illud unum obſecravero, quod te conceſſurum non ambigo, ut me cum præſens, tum & abſens diligas, tuâque operâ ornandum cenſeas. Vale. Barcinonis tertio idus Aprilis 1432.

GUINIFORTUS BARZIZIUS
CORRADINO VICOMERCATO
Ducali Senatori
S. P. D.

NOn prætermittam, vir magnifice, quin te mei ſucceſſus certiorem faciam: ut qui ſemper avidus boni mei, atque in me cum dignitate promovendo ſtudioſiſſimus pro tua humanitate fuiſti, hunc pullulantis proſperitatis meæ conſcius fias. Non es neſcius, quàm celebris, quàmque illuſtris fama non ſolùm in patria noſtra, ſed etiam apud omnes populos, Gentes, Nationes de incredibili penè virtute, de potentia, de gloria Sereniſſimi Regis Aragoniæ pervagetur. Ejus ergo vi ſolùm impulſus, cogitationes meas ab his, quæ penes illuſtriſſimum Principem noſtrum ſedulò tractabas, ad devotionem huic uni clementiſſimo Regi exhibendam converti, & raptus ex patria, in Regnum hoc celeberrimum me tranſtuli. Prædeſtinata quippe, ut opinor, mea hæc profectio fuerat, qua ſingulariſſimi Principis, ac Regis fortiſſimi gratiam conciliarem: qua meum jamdiu in incerto vacillantem animum confirmarem, ac ſtabilirem: qua me ad certum vitæ genus cum dignitate, cum honore, cum utilitate applicarem. Nam & ipſe clementer in ſuæ Celſitudinis familiaritatem me ſuſcepit, & copioſum mihi ſuæ largi-

tatis

tatis munus præstitit, atque etiam contulit, & ut suæ Majestati assisterem, illum comitarer, omne ingenium, omnes curas, omnia studia mea sibi soli præstarem, decrevit. Quid dignius, quid præclarius, quid optabilius contingere in vita potuit, quando ego vel mediocres Deo, ac Domino nostro Jesu Christo, cujus miseratione ad hoc culmen perveni, gratias vel habeo, vel dicavi? immo potius quid agam, ut non immemor tanti accepti beneficii, (cætera enim, quæ innumerabilia sunt, taceo) atque ingratissimus dicar. Id certè agam, quod Deum ipsum rectorem meum velle existimo: in hoc Rege excolendo omnes cordis medullas, nervos ingenii, vires animi adhibebo; daboque operam, ut intelligat, Majestatem suam quasi Numen quoddam in terris me venerari, devotionemque illam, quam sibi maximam debeo, non aliter quàm religionem quandam fideliter, atque integerrimè observare. Hæc apud te libenter commemoro, vir humanissime: quem in officio Principi exhibendo & diligentissimum, & magnanimum cùm omnes judicent, non dubito meam hanc intentionem tuæ virtutis æmulam approbaturum. Ego verò in hoc statu, atque in his Regionibus positus, si quid pro tua dignitate, pro commodis efficere potero, ut me admoneas, exigas, & tibi vindices, oro, atque obsecro. Invenies quidem hominem acceptorum beneficiorum & memorem, & gratissimum. Vale. Barcinonis duodecimo Calend. Junii 1432.

GUINIFORTUS BARZIZIUS
STEPHANO CACCIÆ
S. P. D.

AD te, mi desideratissime Stephane, quid scribam non satis habeo. Non enim de rebus novissimè per Serenissimum Regem Aragoniæ in Africa gestis admonendus videris, cùm ex literis ad humanissimum Pontificem Novariensem copiosè datis omnia cogniturus sis: non afferenda est mei ex patria tibi incogniti discessus ratio, qui post firmatam meam hanc sententiam, non satis ad eam explicandam fuisse temporis, eo ipso mane te No-

Novariam proficiſcente, meminiſſe potes. Neque à me jeniri vis, ſi te mei ſtatus ignarum tamdiu eſſe paſſus fui. Credo enim, quod verum eſt: exiſtimas, non id oblivione, ſed quod aliqua honeſta ſubeſſet cauſa, eveniſſe. Cùm ergo calamum quaſi vacillans, & certum nihil geſtiens, ſumo, cogit amor, cogit ſanctiſſima illa noſtra conſuetudo, ac vitæ ſocietas, animorumque inſeparabilis unio. Quoties inter odioſa maris otia mente te volvi! quoties ſub ſilentio penè lacrymans vocavi, mi Stephane doctiſſime, cur non ades, ut dormientem ſpiritum excites, languentem foveas, jacentem erigas! Fuit enim omne hoc navigationis tempus inutiliter à me ſumma cum moleſtia conſumptum: niſi eos fortaſſe dies, quibus & in Syracuſano portu, & in Africa moram fecimus, detraxero; his enim in locis tum animo, tum menti exercitium tribuere vel licuit, vel officioſum fuit. Te, inquam, vocabam, mi Stephane, non ut maritimorum incommodorum particeps fieres, ſed ut tuis ego ſuaviſſimis colloquiis recrearer; ſed ut in noſtris illis quotidianis diſputationibus diem omnem, immo & noctis eam partem, quam ſomnus non occupat, contereremus. Quid tibi evenerit, faris ſuſpicor. Unum ego ſinè meorum fratrum invidia dictum velim, non ſæpius me illorum memoriâ, quam tui recordatione commotum eſſe. Nunquam de virtutis ſemita proſequenda, nunquam de amicitiæ colendo officio, nunquam de jactura temporis effugienda cogitabam, quin tua ſtatim oculis meis imago repræſentaretur. Eras tunc una mecum, haud ſcio, an dixero mœrorem augens, quod tuâ in mente mea infixâ præſentiâ carebam: an oculis lacrymas abſtergens, quod dum tecum ſpiritu eſſem, omnes interim curas alias deponebam. Nunc verò poſteaquam Siculos attigimus portus, otio meliori dato, rebuſque meis, ut in Deo confido, ad majora ſpectantibus, jam ut non afflicto, ſed ut inſtaurato, & ad meliorem vitæ curſum properanti ſemper ades. Idem & in poſterum fore ne dubita. Ego verò de te mihi tantum perſuadeo, & polliceor, quantum de me tibi, ut conſcius fias, volo. Vale, & tuum Barzizium tui, tuorumque in ſe officiorum & memorem ſemper, & nunquam ingratum fore crede. Ex Syracuſis decimo Calend. Novembris 1432.

GUI-

GUINIFORTUS BARZIZIUS STEPHANO CACCIÆ

Apud Synodum Baſileenſem Conſiſtoriali Advocato

S. P. D.

MEdio itinere, Stephane mi, tuas intercepi literas, quæ ad me alioquin in Siciliam fruſtrà navigantem fuiſſent. Quàm ſuaves illæ extiterint, facilè perſpicies, ſi quàm illas affectarim, conjecturam feceris. Nullas quidem tuas ſuperiori ullo tempore acceperam: quod quamvis in tua vel negligentia, vel maximarum, in quibus cum laude verſaris, rerum occupatione accidiſſe & nunquam putarim, & alieno teſtimonio aliquando didicerim: tamen non poterat in expectatione poſitus animus non mœrore quodam contaminari. Illud verò, dum hæc mihi in Januenſi Urbe tradebantur, ad voluptatis cumulum accedebat, quod de te percunctanti clariſſimus S. Ambroſii Abbas referebat; narravit enim rem non quidem novam, & inexpectatam, ſed certè ſuminè, atque incredibiliter gratam: tuarum virtutum ſplendorem, qui ſemper cuique notum ſe exhibuit, eò in dies majus incrementum ſuſcipere cum fortunarum augumento, quò majoribus difficilioribuſque negotiis implicaris. Non ſubjiciam oculis tuis elementorum figuras, quibus meum, quo tum eram, ac ſemper ſum, quoti es de te cogito (quod quotidie facio) animum deſcribam: animus ipſe tacitus tui verè præfagus ſecretò alloquatur volo. Sed in hac re ſcio, te neque jusjurandum à me, neque aſſeverationem vel ſimplicem expoſtulare. Eſt fortaſſis aliud, in quo me accuſaturus es, niſi dubitationem tuam dicto meo prævenero. Quæris enim, ut opinor, quæ me in patriam cauſa reduxerit: hoc jam tibi prædico. Sereniſſimam Reginam Aragoniæ Majeſtatem, cui me dedicatum non ignoras, exploratâ jam, ac planè cognitâ meâ erga ſe fide, nonnulla mihi apud * hunc Principem maturanda commiſiſſe, fuit in cauſa quamobrem in patrios me receperim lares. Fungor itaque apud invi-

* Philippum Mariam Vicecomitem.

invictiſſimum Ducem Oratoris officio: quo tu, ſi nominis æquivocationem admittimus, penes ſacroſanctam generalem Synodum clarus habêris. Non ambigo tibi fore jucundum, quod proximior ſolito cum dignitate factus ſim. Ego certè hoc eodem gaudeo, ſi modò meus in te amor integerrimus fructum aliquem tuæ in me benevolentiæ acceperit. Quis verò alius deſiderandus eſt fructus, quàm ſapientiſſimarum epiſtolarum nova inſpectio. Tu ſi me amas, quem ſummum in modum pro tua virtute facis, fac cibo hoc ſæpe reficiar; eandem quippe tibi operam præſtabo. Reverendiſſimis Patribus, ac firmiſſimis Eccleſiæ columnis, Placentino, & Sanctæ Crucis Cardinalibus: Reverendiſſimis Pontificibus, Cumano, Laudenſi, Papienſi, Parmenſi, cæteriſque omnibus, quos tuâ prudentiâ dignêris, commendatum me fac. Vale.

GUINIFORTUS BARZIZIUS

DUCALIS VICARIUS GENERALIS

JOANNI SERENISSIMO REGI CASTELLÆ

S. P. D.

SÆpe antea, Sereniſſime Princeps, & Rex feliciſſime, prope divinas tuas laudes ex multis, & quidem graviſſimis viris prædicari audiveram, quibus in ſacræ tuæ Majeſtatis admirationem ducebar: cùm ſtrenuus miles Hugo de Villafranca, olim imperialis apud te Orator, clariſſimum earum teſtimonium afferens, ita me ad tui devotionem inflammavit, ut nihil mihi deinceps poſt Deum magis celebre, aut ſanctum, quàm nominis tui memoria fuerit. Is enim ſuperiori anno, cùm in Siciliam, quo in Regno tum erat, navigaſſet, poſt longam de ſumma tua gloria, de regia felicitate narrationem: tandem quâ in me clementiâ, quo deſiderio tu ſponte affectus eſſes, quàmque amplis tum rerum, tum & dignitatum propoſitis præmiis, ut ad te proficiſcerer me provocares, tuo mihi mandato expoſuit: atque una te potiſſimum

finum ad id ratione te inclinari ajebat, quod oratoriis, philoſophiciſque diſciplinis apprimè delectaris, à quibus me non prorsùs alienum intellexiſſes. Ego verò, glorioſiſſime Rex, cùm hæc ab eo nunciari audiebam: quanquam, eo tempore, neque tuæ voluntati obſequi poſſem, neque tunc id à me tentari honeſtum videretur: tamen cùm vel ad animi tui præſtantiam, vel ad pulcherrima hæc humanitatis ſtudia, quorum præſertim gratiâ me tantopere expetis, cogitationem referebam, incredibile eſt, quanto colendi tui deſiderio flagrarem. Neque verò me ad hoc tam privata mea ratio, quòd ampliſſima ex te ornamenta, ut ſtatueras, conſecuturus eſſem, quàm ingens quædam tui admiratio impulit: quia te Principem eſſe intuebar, qui cum nemini ex his, quos noſtra ætas fert, virtute, ac gloriâ cedas, tum etiam veteres illos nominis famâ immortales viros eo potiſſimum laudis genere, quod hæc ipſa ſtudia ſecum afferunt, exſuperare videaris: Proponebam enim ante oculos quicquid me unquam dignum laude legiſſe de aliis meminiſſem, atque in hoc quidem ſic comperiebam, qui difficillima bella, plurimaque feliciter geſſiſſent, neque aliam penè de ſe prædicationem ullam præter hanc poſteris reliquiſſent, eos quidem in admiratione hominum haberi; apud graves tamen, ac ſapientes viros non aliter promereri laudem, niſi & ſuſcipiendorum bellorum cauſa probabilis extitiſſet, & gerendorum ratio non ex temeritate, ſed ex fortitudine, junctâque illi prudentiâ deducta eſſet. Atqui & hanc laudem non illorum propriam, ſed cum multis eſſe communem animadvertebam: quod ea ſæpe ex temporum, ac locorum opportunitatibus, variiſque adminiculis, quæ nunquam ſinè militum vel fide, ac virtute, vel copiâ quæratur. Qui autem in armis ita verſati ſunt, ut nunquam propterea togæ ſtudia neglexerint, hos profectò & cum laude in admiratione haberi, & cum admiratione laudari videbam. Ex quorum numero: ut Solonem, ut Biantem, ut Pithacum, ut Periandrum, innumerabileſque alios Urbium ſuarum Principes omittam, qui non tam libero arbitrio, quàm ſapientiæ auctoritate imperare viſi ſunt: Zoroaſtrem illum antiquiſſimum Bactrianorum Regem priori loco nominabo. Nonne plus ad nos laudis ex fama ingenii, quòd ipſe

magicas artes, & Mundi principia, quòd ſyderum curſus primus inveſtigaverit, quàm ex ſua regia dignitate tranſmiſit? Quid Ptolomæos Ægypti Reges enumerabo: quorum tametſi plurimæ tum belli, tum & pacis extent clariſſimæ laudes: illa tamen præſtantiſſima eſt, quam de ſtudiis ſapientiæ poſt ſe reliquerunt? Quantis præconiis Philadelphum illum Ptolomæum extollimus, qui tanto ſtudio in tranſcribendis in omni genere doctrinæ, atque omni literaturâ libris fuit, ut ad varias Orbis partes librarios ſuos miſerit, ingentia illis munera conferens, qui ſibi vel ſolam tranſcribendorum facultatem feciſſent; non dubitavit enim Principi Judæorum, quoniam ſcriptoribus ſuis Hieroſolymam tranſmiſſis divinarum traditionum copiam exhibuerat, circiter centum millia Judæorum, quos in Ægypto captivos tenebat, dono dare, patriæque ſuæ, extra quam nati erant, reſtituere. Quis eſt, qui Regis hujus munificentiam laudare, qui ſapientiæ amorem admirari ſatis dignè queat? Quæ res bellica cum hac una comparanda eſt? Quid enim glorioſius fuit, an magno Alexandro Macedoni pro inexplebili cupiditate Imperii LXX. millia Perſarum una acie occidere, XL. millia manu capere: an Philadelpho pro eo, quo flagrabat, ſapientiæ amore, centum millia captivorum libertate donare? Nemo eſt, qui non videat. Ita cum cæterorum Ptolomæorum, tum hujus præſertim diligentiâ eò excrevit regia bibliotheca, ut XL. millibus librorum voluminibus conſtaret. Mirabile hoc quidem auditu; ſed illud mirabilius, quod in tanta Regni potentia, tantis opibus, tantis deliciis, quantis hi Reges maximè affluebant, ea fuerint moderatione animi, ut ſe à cupiditatibus omnibus, perturbationeque, & tumultu ſegregare, ac rerum altiſſimarum ſpeculationi tradere potuerint. Qua quidem in re non minus cæteris philoſophantibus excelluerunt; non enim in rerum inferiorum perſcrutatione demorati ſunt, ſed in Cœlum uſque os miſerunt; atque ita de ſuper cœleſtium corporum natura, & motibus locuti ſunt, ut omnis aſtrorum lex, ſolidaque diſciplina ab his Regibus profecta dicatur. Avicennam autem Regem non populis ſuis ſolùm, ſed univerſo generi humano non ad breve tempus, ſed in perpetuum à Superis immortalibus datum credimus. Sed qua ratione in hanc

fidem

fidem impellimur? An quod ſtrenuè in bellis egerit; minimè; hæc enim multis perniciem, paucis ſalutem, & quidem inſtabilem, pariunt. An quia fortunæ bonis uti modeſtè ſcivit? at neque hoc ſatis valet; ſibi enim, præſertim in hoc, profuit. An quòd juſtus, quòd clemens, quòd liberalis habitus ſit? in ſuos tantum, ac ſui ſæculi homines hæc redundant. Quid ergo eſt, cur Deo gratias pro homine dicamus? quoniam ſibi eam ingenii vim contulit, ut quæque ad corporum noſtrorum ſalutem conferentia rimari poſſet: eam temperantiam, ut ſe à voluptatibus ad acres ſtudiorum labores, ſcribendique ſtudium traduceret. Sed hos prætereamus, qui fortaſſis ea ratione majorem ex literarum ſtudiis, quàm ex armorum agitatione laudem invenerunt, quoniam propenſiores ad ſtudia, quàm ad bellum fuerunt. Eos attingamus, quorum gloria bellica ex ſapientiæ laude quàm maximè illuſtratur: Alexandri illius Magni, qui ſibi univerſum penè Orientem non magnis militum copiis ſubegit, dum maxima geſta legimus, obſtupeſcimus quidem; ſed nonnihil vel fortunæ ſuæ invidemus, vel acre ingenium accuſamus. At cùm eum Philoſophiæ ſtudioſum, cùm Ariſtotelis diſcipulum obſervantiſſimum, cùm excellentium Philoſophorum amantiſſimum fuiſſe percipimus: diluitur omnis, quæ de illo erat oborta, indignatio, ſtatimque nos ſuæ gloriæ prædicatores præbemus. Cæſaris verò (ut Scipiones, Lucullos, Catones, ac cæteros miſſos faciam) Cæſaris cùm innumeras de fortiſſimis Gentibus victorias, plurimoſque triumphos mente recolimus, non ne magnis eum laudibus ornamus? Sed certè laudes hæ à pleriſque fortunæ potius imputarentur, quàm Cæſari, niſi univerſa penè in eum literarum ſtudia, quibus apprimè deditus fuit, congererent. Ea enim facilè nobis perſuadent, ipſum & difficillimis rebus modum quàm celerrimè imponere, & futura longè antea prævidere non fortuitò, ſed prudentiſſimè potuiſſe: qui cum ſolertiâ ſuâ, tum aliorum exemplo, quod ex literarum monumentis acceperat, quid in quaque re agendum eſſet, quàm facilè ſcrutari ſciret: qui ſummâ eloquentiâ milites non ſolùm ad virtutem accendere, ſed etiam ad ſpontaneam mortem ultrò impellere poſſet. Illud quoque huic accedit rei, quod paucos invenies, qui Cæſaris necem

necem ea ratione indignam putent, quoniam ipſe rei militaris ſcientiâ omnium Gentium omnis memoriæ Duces ſuperaverit. Nemo autem eſt, qui ſi audiverit, quâ diligentiâ ad res pacis, atque otii componendas, quo ſtudio ad conſtruendas copioſiſſimas bibliothecas, ad eas ſuo quoque ingenio vel amplificandas, vel excolendas poſt aſſumptam perpetuam Dictaturam ſe tranſtulerit, nemo, inquam, eſt, qui non Brutum, Caſſiumque, cæteroſque complices parricidii accuſet, Cæſariſque mortem non indigniſſimè ferat. Nemo eſt quoque, qui ſi manſuetiora ejus ſtudia conſiderare voluerit, non eum ab omni civilium bellorum ſcelere abſolvat: non omnia, quæ ſibi feliciter obtigerunt, virtuti attribuenda cenſeat: non eum vel immortalem fuiſſe cupiat, vel præmaturè à nobis ereptum quàm maximè doleat. Hunc in Cæſarem etiam defunctum, amorem, hanc de ſe exiſtimationem, hoc judicium, non militaris virtus, in qua cæteris præſtitit; ſed ea, in quibus multos & pares, & ſuperiores habuit, literarum ſtudia ingenerant. Quid de Trajano dicam, eo, qui Monarchiam Orbis decimus quartus à Cæſare tenuit? Juvat enim & hunc nominare: tum quia ſingulares, ac prope divinæ de ipſo laudes prædicantur: tum etiam quia ex Hiſpania, in qua tu primus feliciter regnas, originem duxit. An putamus, hunc Imperii vires per duo jam penè ſæcula ſopitas exſuſcitaturum fuiſſe: niſi quæ à Plurarcho ſui temporis clariſſimo Philoſopho, atque Oratore puer adhuc didicerat, quæve per totam dehinc ætatem varia Philoſophorum ſcripta legens memoriæ commendaverat, illo ipſo Imperii tempore ad actum deduci maximè oportere intellexiſſet? Nunquam, ut opinor, Dacos bello non dicam ſubegiſſet, ſed ne tentaſſet quidem; non Armenos recepiſſet; non Sauromatas, Boſphoranos, Arabes, Colchos ad præſtandam fidem compuliſſet; non Corduenos, non * Mardomedos, non magnam Perſidis regionem, non Seleuciam, & Ctheſiphontem; non Babylonem, Aſſyriam, Meſopotamiam occupaſſet; non mare rubrum claſſe attentare auſus eſſet; non ad Indos uſque penetraſſet: contentus fuiſſet his finibus, quos ſibi Nerva reliquerat. Sed animad-

* Mardi Populi Mediæ finitimi à Mardo flumine ſic dicti ut ex Ptolomæo.

madvertebat ea lege Romanum Imperium ad ſe delatum videri, ut non ſolum quale accepiſſet, tale id conſervaret; ſed etiam ut priſtinam dignitatem, quam olim ſuperiorum Imperatorum incuriâ amiſerat, & ſarciret, & amplificaret. Dabant ſibi ad hoc perficiendum non exiguam ſpem, quæ à Cn. Pompejo, quæ à Cajo Cæſare, quæ ab Octaviano Auguſto geſta legerat: dabant hæc eadem non mediocrem doctrinam, quibus hæ Gentes viribus, quo ingenio ſuperari poſſent. Inflammabat illum exſuperandæ majorum gloriæ ingens cupiditas, quæ magnos animos ſtimulare acriter ſolet. Adversùs autem pericula omnia, labores, metum etiam mortis, cum ſapientiorem, tum etiam fortiſſimum Philoſophiæ præcepta reddebant. His igitur rebus confirmatus, ſplendorem ipſe Imperii, qui penè extinctus videbatur, reſtituit, atque illuſtravit. Neque ſolùm ad bellicas res literarum ſtudia illum exacuerunt; ſed etiam tantâ continentiâ, æquitate, modeſtiâ prodiderunt, ut per excellentiam ſibi titulus bonitatis, quemadmodum Auguſto felicitatis, adjiceretur. Nam deinceps cum ſequentibus Imperatoribus milites acclamare vellent, illos ut Auguſto feliciores, ita & Trajano meliores dicebant. Succeſſit huic Ælius Hadrianus, ipſe item ex tuo Hiſpaniæ Regno trahens originem: cujus nomen cùm multis, ac magnis rebus geſtis celebre habeatur: nulla tamen eſt res, quæ poſteritati commendabiliorem eum faciat, quàm quod in plurimis nobiliſſimis diſciplinis apprimè eruditus extitit; fuit enim tum geometriæ, arithmeticæ, ac muſicæ peritiſſimus: tum & Oratorum, ac Poëtarum ſtudioſiſſimus, harumque artium profeſſores magnis affecit honoribus, opibuſque abundantiſſimè cumulavit. Poſſem hoc loco Marcum Antonium Imperatorem, ac Philoſophum, poſſem & alios adducere: qui cùm ſibi gloriam immortalem vel animi virtute, vel rerum geſtarum magnitudine comparaverint, illam tamen literarum ſtudiis maximum in modum ornaſſe videntur: niſi & longius ipſe jam progreſſus eſſem, quàm initio inſtitueram; & tu pro ſumma tua ſapientia hoc ipſum multo latius intelligeres, quàm ego ſermone ullo explicare valeam. At verò de te (ut eò redeat, unde hæc omnis fluxit oratio) quid dicam, Rex fortiſſime? An tuas ego regias virtutes: quæ tantæ ſunt, quantæ vix de

alio prædicari poſſunt: te audiente, proferam? Pudet me, Princeps manſuetiſſime, de tua præſtantia penes te loqui; atque id quidem cùm longè à conſuetudine mea, niſi honeſta impellat ratio, alienum ſit, tum etiam tibi, & grave, & permoleſtum fore arbitror: quippe qui tuæ gloriæ non tam apud te prædicatores aliquos habere, quàm tu ipſe apud alios & auctor, & comprobator eſſe vis. Non ero igitur occupatus in eo, ut qua in Deum religione, qua in homines charitate, qua in ſubditos pietate, juſtitiâ, æquitate, qua cum in omnes, tum maximè in malè de te meritos clementiâ, in bene meritos largitate ſis, dicam; neque tuam animi magnitudinem, tuam in conſiliis gravitatem, in dictis rectitudinem, in promiſſis fidem, in factis conſtantiam, in omni denique vita moderationem, atque integritatem commemorabo. Prætermittam & clariſſimas tuas victorias, quarum illa præſertim omnem antiquitatis gloriam adæquaſſe videtur, quam de ferociſſimis barbaris in planitie Granatæ mira virtute conſecutus fuiſti. Hæc omnia, quamvis ſumma ſint, miſſa faciam: in eo poriſſimum verſabitur oratio mea, ut cum his virtutibus, quæ in primis in optimo Rege deſiderari ſolent, neminem tibi antepoſuero: tum his tuis ornamentis ſplendorem illum, quem literarum ſtudia conferunt, non modò non deeſſe, verùm potius; ſi tam rerum, ac temporum, quàm perſonarum habenda eſt ratio; clariorem in te, quàm in alio ullo judicari oportere doceam. Ac mihi quidem in hoc ſuperiores omnes conſideranti, qui aliquo doctrinæ genere prædíti fuerunt, illud exploratum ſit: vel ejuſce doctrinæ adminiculis eos ſibi Regna comparaviſſe, ut neque difficile fuerit, dum inferiori fortunâ eſſent, ſapientiæ ſtudiis ſe tradere; neque novum, poſtquam altius conſcendiſſent, qua ratione acquiſiverant Imperium, eâdem illud tueri, ac conſervare: vel eo tempore natos eſſe, quo apud omnes bonarum artium ſtudia maximâ in veneratione habebantur, ut penè illis neceſſarium fuerit, niſi majeſtatem imminuere vellent, ſeſe ad ea convertere. Tu verò, Princeps illuſtriſſime, in deliciis natus, hæreditario jure, unoque omnium conſenſu florentiſſimum Regnum à patre Sereniſſimo Rege accepiſti: atque eo quidem tempore, quo non modò ſtudia hæc à Principibus non colebantur,

tur; ſed etiam penè contemnebantur. Non igitur ſuperiores illos vel appetibilium rerum copia, ac voluptatum facultas, vel ſui temporis conſuetudo facilè à ſtudiis literarum diſtrahere potuit. Rurſus te nec magnæ alicujus rei literarum ſubſidio obtinendæ cogitatio: nec ejus ignominiæ metus, quam negligentia olim afferebat, ad virtutis, ac ſapientiæ cupiditatem impellit. Sola ipſa per ſe ſtudia ſapientiæ, ſola, inquam, te in ſui dilectionem duxerunt; tuque ad ea non cujuſquam perſuaſione, non imitatione, ſed naturæ tuæ immenſa bonitate, animique excelſa nobilitate commotus es. Quanta ſit eorum dignitas, quanta amplitudo, quanta vis, diligenter animadvertiſti: quàm animum oblectent, inſtruant, excitent, conſideraſti: quod ornamentum, quem ſplendorem afferant, quid leporis, quid fructus in ſe habeant, quàm nobis ipſis nos, quàm multis aliis & gratioſos, & utiles reddant, ſapientiſſimè ut cætera, perſpexiſti: judicaſti, nihil te dignius eſſe, quàm ſi vel naturæ, vel animi tui dotes, & exemplis aliorum, & præceptis confirmares. Neque ſolùm ad tui ipſius perfectionem, ſed ad totius Regni compoſitionem his adjumentis, quæ tibi literarum ſtudia ſubminiſtrant, uſus es. Nam cùm tua Majeſtas Sereniſſima per te adeò ſublimata ſit, ut cunctas alias & potentiâ, & felicitate, & gloriâ nunc exſuperet; tum etiam univerſum tuum Regnum, quod ſemper clariſſimum fuit, jam inter cætera multò eminere dignoſcitur. Tibi Pontifices reverendiſſimi, tibi Proceres ſplendidiſſimi, tibi Senatores graviſſimi, tibi Judices & ſeveri, & æquiſſimi aſſiſtunt. Tuis imperiis milites cum virtute animi, tum corporis etiam robore præſtantiſſimi, cives honeſtiſſimi, vulgus & pacis, atque otii amantiſſimum, ita & ad bella promptiſſimum, parent. Hos tu, Rex ſapientiſſime, tales effeciſti: hæc tua laus eſt. Nam ſi Platoni credimus: qui tales in Republica eſſe dicit, quales ipſi Principes ſint: nulla certè laus ſubditis attribuenda erit, cujus origo non ex ipſo Principe, velut ex fonte quodam repetatur. Neque tamen iſtud à me dictum alios perperam interpretari velim: quaſi non ex tua virtute, ſed ex aliena tuam hanc laudem deducere videar. Tu enim hujuſce rei, & inſtitutione, & exemplo es auctor. Nonne inteſtina tuorum inter ſe odia, civileſque diſcordias ſummâ prudentiâ ſedaſti? non ne latrocinia, quæ

per

per tuum illud Regnum vagabantur, penitus extirpasti? non ne his, in quibus virtutis vestigium appareret, plurimum semper detulisti, eosque summo sæpe in gradu honoris collocasti? Quid hoc est aliud, nisi quæ impedimentum solent esse virtuti, resecare: quæ virtutis præmia dignissima putantur, ea copiosè tribuere? Non dubito, clementissime Princeps, hæc ipsa te solâ tuâ sapientiâ providisse; fateberis tamen, ut opinor, tunc maximè in susceptâ sententia te confirmari, vehementerque solicitari ad eam implendam, cùm similem aliquando vel sapientissimos homines aliquos, vel maximos Principes cum laude secutos legis. Quinimmo & tibi te gratulari solitum dices, quoties in idem cum illis judicium concurris. Hanc literarum studia, Philosophiæ præsertim, atque Oratorum, commoditatem inter innumerabiles alias afferunt. Major ea est, quòd non solùm nos ad excogitandum perspicaciores faciunt, sed etiam ab antiquis excogitata, consiliorumque suorum exitus referant. Est verò incredibilis ea opinio, quam apud alios de nostra sapientia exsuscitant: quasi & rerum omnium præteritarum experientiam teneamus, & ad futura consilio providenda non solo nostro ingenio, sed gravissimis plurimorum sententiis utamur. Præter hæc autem omnia inenarrabilis quædam his humanitatis studiis occulta vis inest: quæ studiosos eorum, quò majoris gradus, atque eminentiæ sunt, eò magis commendabiles reddunt, atque hominum cordibus imprimunt. Quantam itaque de te apud omnes & præsentes, & in posterum nascituros gratiam, credis, ingenerabunt? quàm te in omnium prædicatione ponent? Equidem alii quid sint judicaturi, satis intelligo; ego verò quid jam sentiam, quo animi ardore, quo desiderio exæstuem, nulla ad id explicandum verba idonea reperio. Sed pleraſque alias velim tu ipse causas, mitissime Rex, quæ ad id me impellunt, consideres. Judicabis quidem, quod ipse initio professus fui, tibi me incredibili amore affici: qui Principem excellentissimum his deditum disciplinis videam, quas ego cunctis aliis, tametsi honestissimis, anteposuerim. Infallibilem autem in te devotionem meam esse intelliges; si me gratum, si memorem, si tuæ gloriæ non ignarum putaveris. Quæ enim poterunt unquam mea officia in te esse tanta, ut non ea

præ-

præclarum de me judicium tuum longè antecedat: qui me pusillum hominem Rex, cui parem vix fert Orbis terrarum, nescio qua ingenii, & doctrinæ meæ opinione adductus verbis humanissimis ad te vocare, qui plurimis honorum, ac fortunarum muneribus allicere studuisti; qui tam diligenter hanc rem narrandam claro illi militi commisisti: qui, ut miles is cognitâ meâ voluntate, speciales tabellarios ad te mitteret, mandasti: qui te chirographum dehinc tuâ manu, tuâ, inquam, illâ victrice manu ad me scripturum non sinè magna immensi tui desiderii significatione dixisti? Neque verò est quicquam in causa, Rex clementissime, ut me suspiceris vel non magni hoc tuum judicium feciſſe, vel tuæ voluntati obtemperare noluisse: propterea quia neque à milite illo tabellarii profecti, neque ullæ à me literæ in hodiernum usque diem ad tuam Majestatem absolutæ sint. Non enim hoc ex contumacia, non ex desidia processit: aliud nostro in te officio, quo minus id tempestivè impleremus, impedimento fuit. Nam cùm in patriam suam miles hic, cui mandata dederas, abs te rediisset: jam ego Sereniſſimum Regem Aragoniæ, cujus inter Consiliarios assumptus fui, classe maritimâ secutus eram; eaque ratione miles ipse nihil ad me literarum tum propter incertitudinem loci, in quo essem, tum etiam propter fidelium nunciorum inopiam, dare voluit. Expectavit autem suæ in Siciliam navigationis tempus. Ac ita quidem fors tulit, ut cùm ipse in Siciliam applicuit, ego indè in Lombardiam navigaturus ad Ducem Mediolani cum Regis mandatis essem. Quare tunc pro rei propositæ qualitate, ac multo maximè pro meæ integritate fidei, visum est, ut ejusmodi consultationem aliud in tempus differremus. Itaque nunc, illud necessitate quadam per divinam, ut confido, providentiam mihi impositâ, supervenisse cum primum sensi: animum statim ad meam erga te devotionem his literis aperiendam adhibui. Illis enim fermè diebus, quibus hic miles tua mandata exposuit, in acerrimam ægritudinem incidi, quæ & navigationem meam retardavit: & cum mediâ dehinc hyeme per maximas procellas, ac tempestates, nondum valetudine satis confirmatâ, navigandum fuerit: tot incommodis meum affecit corpus, ut nunquam penè deinceps vel à gravi ali-

quo morbo, vel à morbi metu liber extiterim; meque ad id tandem redegit, ut medicorum judicio, ad navigationes in posterum nunquam sinè aperto vitæ meæ discrimine rediturus sim. Ita mihi necessarium fuit à Serenissimo Rege, cui obstrictus eram, absolutionem petere, ac de vita in his regionibus honestè producenda cogitare. Atque eâ per magnificentissimum hunc Ducem Mediolani dominum meum cognitâ, ipse copiosis de publico proventibus assignatis, in generalem Vicarium suum me assumpsit. Agitur autem jam quartus mensis, Rex Serenissime, quo & variis ægritudinibus magna ex parte, quanquam non omnino alleviatus, & ab eo, quem dixi, Rege misericorditer absolutus, Principi huic Mediolanensi devinctus sum. Per universum igitur hoc tempus quadrimestre (nam id prius non licere arbitrabar) attentissimè odoratus fui, quisnam ex hac Urbe ad sacram tuam Majestatem profecturus esset, cui literas (quod semper animo gessi) deferendas committerem. Obtulit nuper mihi Deus virum eum in primis & honestum, & prudentissimum, tum etiam tuæ Serenitatis observantissimum Joannem de Turres. Multum verò gaudii ex hominis hujus consuetudine percepi: cujus sermo, quoties per nostras occupationes una esse potuimus, semper in tuarum virtutum enumeratione, in tua laude, in tuæ gloriæ prædicatione versabatur. Ex hoc Joanne Regni tui amplitudinem, Urbium nobilitatem, populorum multitudinem, militum probitatem, doctissimorum in omni genere virorum copiam, Procerum præstantiam, inter quos magnum illum Comitem Alvarum de Luna summæ sapientiæ virum præcipuè nominabat; religiosorum item hominum continentiam, Pontificum gravitatem: quanquam ea mihi antea non prorsus incognita essent: enucleatius didici. Ex hoc Joanne politiam per te in toto Regno expolitam, hominum ingenia erudita esse, aëris temperiem, frugumque ubertatem à summo Deo benignius, te regnante, concessas audivi. Hic mihi de Serenissima Regina conjuge tua laudes propè cœlicas accuratissimè prædicabat: hic illustrissimi Principis Henrici filii tui primogeniti angelicam indolem, plurimaque de illo non humani, sed cœlestis ingenii tantâ festivitate prosequebatur: ut quoties de hoc divino puero loqui cœpisset, nil sibi dictu suavius,

avius, auditu nil mihi jucundius videretur. Quibus in rebus, uxore scilicet, ac nato, cùm tua felicitas magna ex parte non aliter, quàm in proximè antedictis majestatis splendor reponi debeat: meritò te ut Serenissimum, sic & felicissimum inter cæteros Principes apud omnes habendum esse docebat. Neque tamen & hoc sibi satis esse putavit, nisi & apud te ipsum quanta esset tua felicitas, ostendisset. Parvi enim refert, beatissimos nos ab aliis judicari, si qua interius miseriæ nostræ conscientia malè urat. Igitur cùm felicitas humana ex operatione secundum optimam virtutem in vita perfecta quæratur: propositâ rerum omnium affluentiâ, quàm pacato, ac tranquillo animo te ad virtutis opus conferas, singulas virtutes attingens, multis indiciis declaravit. Sed meum non est propositum, quæ ab eo dicta sunt, omnia commemorare. Huic itaque viro & modesto, & probatissimo, quàm ardenti animo in te sim, patefeci; literasque has meæ devotionis indices ad tuam Serenitatem perferendas commisi. Nempè ad id subeundum, ad quod tua Majestas me invitat, Rex sacratissime, non mihi animus, sed facultas deest. Ea enim judicatur ægritudo mea, ut ejus origo altius lateat, periculosaque mihi futura sit omnis peregrinatio; præsertim si diu, & extra illud, in quo natus sum, clima, & procul ab his, qui diligentem salutis meæ curam habent, manendum sit. Sed hæc ipsa incommoda satis, ut opinor, magnitudo devotionis leniret, ac temperaret. Valdius autem occurrit aliud obstaculum quoddam; meam enim operam, cùm adhuc de solida convalescentia penè desperarem, illustrissimo huic Duci, fidemque adstrinxi; eamque ob rem & non mediocria emolumenta, & honores complures consequor, ut jam neque regionis, neque status mei mutatio ex me solo pendeat. Quoniam igitur certis quasi metis circumscriptâ corporis libertate, quod meum non est, sponte offerre non valeo: certè quod liberum mansit, libentissimè dedo, voluntatem scilicet. Tuo nempe in animo dies, noctesque versabor cogitatione: te contemplabor, te colam, tibi serviam. Specta, obsecro, deditissimam tibi mentem; credeque hanc meam sortem, quæ propriâ mihi in patria honestissimè obtigit, toties acerbam videri, quoties tuis illam optatis quominus obtemperem, impe-

dimento esse recordor. Meum non est majora pollicèri: tuum erit tamen quæcumque voles imperare; tantum enim mihi de tua propè divina & æquitate, & sapientia promitto, ut nihil me dubitem recti semper tenacissimo arbitrio tuo committere. Ero itaque animo quidem absolutè, quoniam meus ipse est, corpore verò non ex mea facultate, sed ex tua indulgentia, qui nihil non honestum requisiturus es, tuæ sacræ Majestati subjectissimus. Tu verò, quâ es clementiâ, inter servos tuos me numerare dignaberis, pietateque tua dignum judicabis. Vale, Rex sacratissime, tuaque immortali felicitate perpetuò gaude. Mediolani nono Idus Aprilis 1433.

GUINIFORTUS BARZIZIUS CHRISTOPHORO BARZIZIO S. P. D.

RE pariter, ac famâ, te, fratremque item nostrum Joannem Augustinum magis in dies, ac magis proficere, ex Nicolao Cucco necessario nostro proximis diebus certior factus sum. Is tametsi nihil sermone suo novi mihi attulerit, propterea quod de vobis ita esse jam pridem mihi ipse persuaseram; non enim sinister de absentibus, meticulosusve, ut plerique alii, augur esse solco; tamen voluptatem novam addebat veteri, cum suo testimonio à me de vobis jam concepta opinio terminos opinionis excedens in fidem indubiam transibat; confidoque vos meo bono, quod vobis omnibus commune esse cupio, lætari: nisi fortè haud viro digna pietas quædam, quod tantis à patria remotus maris, terrarumque stadiis vitam acturus sim, lætitiam vestram mœrore aliquo inficiat. Hæc si vos perturbatio tenet, deponenda est, reminiscendumque, nullam in hoc sæculo manentem patriam hominibus datam esse, idque in vobis ipsis speculandum: quare animadvertatis, non uno in loco firmandam esse animum, ut extra eum vitam esse miseram credatis. Sed de hoc plura; quàm sat est: hoc tantum dico, Mundus mihi universus patria est. Scribo, scripsique ad fratrem, ut quoniam hinc abire mihi non licet, ipse huc se, cùm primum poterit, conferat: multis ratio-

tionibus desideranda est inter nos verbosa collocutio. Tuas quæso exhortationes, ut petitioni meæ satisfaciat, adhibeas. Vale. Mediolani pridie Idus Februarii 1434.

GUINIFORTUS BARZIZIUS
BARTHOLOMÆO VICECOMITI
Episcopo Novariensi

S. P. D.

CUm longis itinerum spatiis, Reverendissime Pater, hinc aberam, animo æquiori ferebam, quod amplissimo tuo conspectu carerem; postea verò quam nescio, quæ non parvifacienda ratio: dum vel unius Urbis mœnibus conjungimur, vel proximitate locorum confines sumus: meum ad te congressum prohibet, incredibile est, quanto desiderio clarissimam tuam Dominationem adeundi æstuo. Hoc regiâ, quæ me huc provexit, causâ non confectâ, minime licet; eòque me perductum video, ut ab honestissimo, summèque debito venerationis tibi exhibendo officio honestissimum aliud, sanctissimumque me aliquantum retrahat, ac retardet. Sed dabo operam, Pater humanissime, ut tua monita, votumque meum, antequam hinc discedam, cum primum opportunitas aderit, impleantur. Interim qua es mansuetudine, excusatum me habe; persuadeque tibi æquè me deditum, cùm essem modo, ac unquam fui. Vale Præsul præstantissime. Mediolani decimo tertio Calendas Martii 1434.

GUINIFORTUS BARZIZIUS
JOANNI AUGUSTINO BARZIZIO

S. P. D.

LIteras proximis diebus ad te scripsi, quibus de meo in patriam adventu certior fieres; precibus quoque abs te impetrare credebam, ut qui ego hinc abesse ante confectam profectionis meæ provinciam non valeo: tu si potes, quod posse intel-

telligo, uſque huc concederes. Vereor eas literas, ut in pleriſque aliis ſuperiori tempore eveniſſe cognovi, aut nunquam, aut tardius forſitan redditum iri. Eam ob rem iteratis iis, te maximum in modum oro, ut me fratrem amantiſſimum tui deſideratiſſimo tuo conſpectu recreare non differas. Te ipſum, mi frater, non literas expecto. Vale. Mediolani nono Calendas Martii 1434.

GUINIFORTUS BARZIZII
JOANNI OLCINÆ
Magno Sereniſſimi Aragoniæ Regis à ſecretis.

S. P. D.

PApiæ ſub cura Medicorum proximo menſe Majo poſitus, literas ad ſacram Majeſtatem Regiam dedi. Erant iis annexæ aliæ ad te, vir magnifice. Quæ ſciri opus fuit, tum illis, tum chirographo his incluſo, quod notis eſt ſcriptum, intelliges. Aliud ſupereſt, quod nulla ratione prætermittendum cenſeo, ad quod animum attentè ut convertas, oro. Quam in re tua ſuæ aliquando cuſtodiæ commiſſa integritatem, ac fidem bonus ille vir Gabriel, in quo confidebas, ſervavit, ejus te nondum oblitum credo: pari nunc quoque in fraterna, quam olim cum Georgio Chatala habuerat, benevolentia conſervanda uſus eſt. Scripſit nuperrimè duplicatas ad Georgium epiſtolas, quibus exponit, quantâ eum infamiâ, non ſinè capitis periculo, in Curia Sereniſſimi Principis noſtri aſperſerit; impurat enim ſibi, quod cum à Ludovico Ceſcaſes regio librario Ciceronem quendam regium de Officiis ipſe commodatum habuiſſet, hunc librum Georgius ſubripuerit, naviganſque artulerit ſecum; eaque ratione non tam indignationem regiam, quam mortem ei, non jus dicentis ſententiâ, ſcilicet ſuâ ſe violentiâ daturum interminat. Harum literarum inſpectione vehementer commotus Georgius, eas mihi perlegendas tradit, innocentiam docet, juſtiſſimum dolorem multo ſermone proſequitur. Ego, vir graviſſime, non is ſum, qui latroni, aut furi patrocinium, in cauſa præſertim regia, præſtare unquam velim: is certè ſum, qui defenſionem pro inno-

innocente, meo præsertim cliente, subire nunquam recusabo. Atque id in hac causa eò libentius, ac securius committam, quod & calumnia hæc non potest non aliqualiter in caput meum redundare: quasi videar sceleris non ignarus fuisse, qui tam repentè Georgium ex Sicilia adduxi: & perfacilis mihi erit noxæ purgatio, & adversus eum instituenda quæstio, cujus insignis in tua re perfidia, ac post crimen perpetratum erga te contumacia perspecta tibi proximè anteacto tempore fuit. Sed ad rem devenio: hoc dico primum, nullum ex Sicilia Ciceronem de Officiis Georgium Chatalam secum attulisse, neque ullo per totum hoc tempus, quo mecum fuit, usum fuisse. Affirmavit autem ipse mihi, neque ab hoc calumniatore, neque ab alio se librum talem habuisse, quem ei minimè opus erat ab alio mendicare; quoniam ejusce, quoties optabat, à spectabili viro Jacobo Peregro utriusque juris Consulto clarissimo, ac regio Vicecancellario copiam habere solebat. Præter hæc plures ego ad confutandam perfidiam tantam conjecturas facio. Georgius quidem ante suum ex Panormo discessum, quanquam repentinus fuerit, omnes sibi commodatos libros privatis personis, à quibus acceperat, restituere curavit; & nos quo consilio factum putabimus, ut exportaret Serenissimi Regis librum, qui ipsius subditus esset? qui suæ Majestati servire tantoperè cuperet? qui ejus in se clementiam aliquando consequi sperans, non dubitavit, hyemali tempore, maritimarum procellarum timidissimus, atque impatiens navigationi se una mecum exponere, ac multis cum incommodis apud me animo non defatigari? Occurrit & alia conjectura; nam si sibi ipsi alicujus sceleris conscius fuisset, procurasset utique in hac Urbe, in qua virtus ejus nota est, remanere: quem tamen cognovi semper intentionis esse ad sacram Regiam Majestatem, & ad te redeundi. De eo quoque sæpe audivi, quod cum à diversis hujus Civitatis Magnatibus cum pollicitatione præmii non parvi ad filiorum suorum doctrinam quotidie invitetur; nequaquam illis assensum præbet, dicens, velle se, quantum possibile erit, operam suam, dignumque servitium Principi suo exhibere. Neque illud silebo, quod rem satis dilucidam reddit; post nostram ex Panormo navigationem, antequam Siciliam relinque-

remus,

remus, fluxerunt dies XLII.; finimus enim Drepani usque in XVII. diem mensis Decembris. Non debuit calumniator noster adeò negligens in regio libro, quem in privata sua domo tenebat, custodiendo esse, ut per totum hoc tempus à Georgio subtractum esse ignoraret. Id certè si Georgius commisisset, ex Drepano in vincula tractus esset: nulla autem ne minima quidem mota est querela. Quinimmò neque ad Portum Veneris navigante calendis Januarii strenuo milite Joanne Flores tunc designato ejus loci Duce, literæ nullæ de hac re scriptæ, aut accusationes motæ fuerunt; cùm tamen dubium non esset, illius nomine Mediolanum aliquos profecturos. Unde ergo tam diuturnum erga Georgium in re tanta silentium? Unde nihil fortasse in eum usque diem amiserat ille: aut si res perierat, non satis habuerat vel temporis, vel ingenii ad tale flagitium in hunc potius, quàm in alium quempiam conjiciendum. Potuit in numero aliquis oboriri, cùm regiâ causâ nunc abesse intelligeret, cùm Mediolano doctiorem solito paulo ante comperisset; suspicareturque, si adesset, altiorem se locum in Curia, tuo, ac Vicecancellarii beneficio, obtenturum: potuit & stimulus alterius hæc confingere. Unum tamen maximè opinor fuisse in causa, quod regiam, quantam emeritus fuerat, indignationem facilius in absentem, præsertim indefensum, quàm in præsentem quemquam derivari posse credidit. Sed quicquid fuerit, hoc sincero animo affirmo, nihil de hoc nostro Georgio tale suspicari debere; atque ad id persuadendum plurima alia quoque non futilia adducerem argumenta: nisi brevi, dum tempus admittet, vivo me testimonio expositurum sperarem. Quod abs te precibus impetrare cupio, est: ut quam laudabilem, superioribus annis, de Georgio existimationem feceras, non patiaris ullius nequitiâ corrumpi; aderit enim propediem, qui hujusce criminis defensionem ipse per se faciet. Intelliges certè hanc unam, quæ sibi inuritur, notam, quàm maximè ab eo alienam esse; judicabisque ipsum dignissimum, non qui regiorum codicum abactor dicatur, sed qui eorum custos, ac cultor, Regiæque Majestatis aliquo in genere officii servus non solum devotione, atque origine patriæ, sed etiam operâ constituatur. Vale. Mediolani tertio nonas Quintilis 1434.

GUI-

GUINIFORTUS BARZIZIUS

Illuſtriſſimo Principi

HENRICO

INFANTI ARAGONIÆ,

Ordinis, ac Militiæ S. Jacobi Magiſtro,

S. P. D.

JOſeph Bripius Theologiæ, ac Decretorum Doctor inſignis, ſimul & clarus Orator, atque Poëta, Illuſtriſſime Princeps, tuo ex hac patria diſceſſu nondum cognito, nuper aliquot verſus confecerat, quos devotione motus ad te mittere conſtituerat. Tuæ igitur profectionis paulò poſt certior factus, eoſdem mihi tradidit, ut fideli nuncio deferendos committerem. Ego verò quàm libenter hanc provinciam deſumpſerim, haud vereor, quin ſtatim ex carminum ipſorum inſpectione judicium factura ſit ſapientia tua: ſive ſtructuram, ſive ſententiam, maximæ verò ſi utrunque ſpectare maluerit; neque enim ab aliquo noſtri temporis Poëta, ſed ex ipſa (ut ſic loquar) Maronis Virgilii officina prodiiſſe videntur: quo quidem fit, ut in admirationem non mediocrem incidam, unde auctori ſuo Joſeph tanta ingenii dexteritas, tanta rerum, ac doctrinæ copia ſit: qui cum in ſeverioribus Juris Pontificii, ac Sacræ Scripturæ ſtudiis clariſſimus Doctor, atque in omni vitæ parte graviſſimus cenſor habeatur: ita ſe ad manſuetiora hæc muſarum ſtudia flectere valeat, quaſi ſemper illis, & quidem ſolis operam ſuam impenderit. Sed credo, cùm ex familiis nobilibus multis permiſerit Deus, inſignes aliquo uno in genere, ac præſtantes quoſpiam evadere: idem huic quoque generoſæ Bripiorum ſoboli abundanter conceſſerit; ſed & aliud quiddam ſingulare liberaliter eidem largitus ſit, ut ſcilicet noſtro hoc tempore hominem ferret, gravitate vitæ, ac omnis ſapientiæ plenitudine integerrimum, pariterque & mulierem venuſtate formæ, ac morum elegantiâ, & ſplendore illuſtrem meritò nuncupandam Juniperam ex viro primario Paulino Joſeph fratre genitam. Mira igitur in his metris, ut ad inſtitutum redeam, ver-

borum luculentia, ſuavitaſque, mirum in cantu melos, mira ſententiarum inter ſe quaſi harmonia quædam, mira hæc, inquam, non dubito, quin legenti oblectamentum allatura ſint. Atque ex eo quidem genere, non quod diutius perceptum aures faſtidio, aut animum ſatietate afficiat, ſed quod etiam in attentione perpetua ſumma cum jucunditate retineat. Quid autem ſententiam hujuſce poematis commemorabo? Nonne omnis ferè in excelſæ tuæ Serenitatis laudes diſtribuitur? At verò à quo prædicantur? Nempe ab homine ſummæ auctoritatis earum decantatio exordium ſumit, qui & in omni vitæ actione id cavit, ut rectus, ut prudens, ut moderatiſſimus inveniretur, & ſemper in ſermone veritatem ſervavit in primis. Progreſſus autem, & quaſi terminus decantationis ejuſce per ſplendidiſſimum illud ſydus Juniperam Bripiam celebratur: quæ ſicut literarum ſtudiis liberalibus eruditiſſima eſt, ita & muliebrium virtutum omnium ſplendore niteſcit, ut nihil in ea deſiderari, præter immortalitatem, poſſe videatur. Quare Princeps Illuſtriſſime, id futurum autumo, ut quoties epiſtolæ hujus metricæ lectionem repetieris, conſcius ipſe tibi rectè factorum, & de præconum fide certiſſimus, in regiæ tuæ virtutis amorem exardeſcas; ſimulque in illius contemplatione quò magis inſiſtes, eò magis, ac magis ſitibundus efficiaris: ut nulla temporis tam longa curricula fluere poſſint, quæ præſtantiſſimam animi tui excellentiam in eo ſtudio fatigare valeant. Sed & pretioſum illud, atque inæſtimabile munus tua clementia benigniſſimè complectetur, quod immenſâ virtutum tuarum gloriâ inductus vir iſte clariſſimus offert, dum ſe ipſum, ac ſuos omnes Celſitudinis tuæ imperiis ſubjicit. Hanc ego, Princeps mitiſſime, auream ſuam epiſtolam ad Serenitatem tuam ſumma cum diligentia tranſmittere ſtudui: cujus in aſſidua lectitatione quoties eadem Serenitas oblectabitur, ſupplico toties ejuſce auctoris Joſeph Theologi graviſſimi, ac viri integerrimi, toties & Guiniforti ſui meminerit, quos ſemper ad ejus mandata exequenda promptiſſimos fore confidat. Mediolani quinto Calendas Septembris 1436.

Pha-

Phœbus ad Heſperias jam pronus, & aureus oras
Flammivomis properabat equis, curruque ſupino
Ardebat pelagi ſpumantia lora profundo
Mergere; cum Inſubrium clarum decus illa dearum
Junipera inſignis, generoſo ſanguine creta
E Bripio, dilecta mihi, & chariſſima neptis,
Audiſſet nuper me laudantem ore rotundo:
Eſſe tibi aſpectum illuſtrem, faciemque decoram,
Atque graves geſtus, totum quoque corpus herile,
Formoſum, & dignum cultu, dignumque regendi
Imperium, tanquam divo de ſanguine natum
Regali; ſic læta refert. O patrue dulcis,
Omnia vera manent tanto de Principe dicta;
Sed majora tibi, & longè præſtantia pandam,
Quæ magis, atque magis mirabere: rara modernis
Principibus, vel nulla quidem tibi farier auſim.
Nunc igitur mea dicta velis attendere fixa
Mente, pater, magni digniſſima laude Maronis.
Hic illuſtris herus claro, præſtanteque pollet
Ingenio, atque ipſis (dictu mirabile) rebus,
Et bello, & paci propriis feliciter apto.
Hic ſi bella gerat, cautus jam ſciret in hoſtes
Armatas ductare acies: hic fortis, & audax,
Aut eques, aut pedes occurrat, mucrone, vel haſta;
Alter enim Æacides, alter fortiſſimus Hector,
Irruit intrepidus, conſtans, animoſus in hoſtem:
Hic veluti obtulerint ſe tempora, factaque rerum,
Novit & inſidiis, & aperto vincere Marte.
Sed ſi pacem agat, en nemo prudentior altis
Conſiliis, nemo doctrina edoctior heros
In regione ſua, nemoque diſertior ore
Melliſluo; & tandem nemo eſt ad ſceptra regenda
Juſtior, ac morum gravitate modeſtior illo.
Quid de uno loquar eximio, quod ſplendet in hocce
Principe magnanimo? nam ſeu convivia menſæ,
Seu ſermonem hominum communem, ſive choreas

Hic ducat lætas inter divosque, deasque,
Mirifice tenet illud honestum, illudque decorum,
Atque aptum, summo donatum à Numine paucis.
Nam, mihi crede Pater, niteat tota illa venustas
Corpore in egregio, at facies sibi desit honesti,
Atque decori, aptique; nec ipsa accepta venustas,
Nec cuiquam grata est, nec amata profecto videtur.
Quid verò dicam de cantu, atque arte sonandi
Dulciflua, variaque sibi? nam musica quæque
Instrumenta velis vel mira scit ille peritis
Tangere vel digitis, vel plectro, ac voce canora
Mellifluos miscere sonos, quibus ille magistros
Anteit eximios: quem nec regina sororum
Calliope, nec Apollo Deus, nec denique vates
Threjicius vario modulamine vincere posset.
Sunt aliæ in tanto virtutes Principe; quas si
Dinumerare velim, dignaque extollere laude,
Deficeret mihi longa dies, nec copia linguæ est
Talis, ut innumeras possim depromere dotes.
Dixerat; atque illam narrantem tam ore venusto,
Facundoque simul præconia tanta tuarum
Ordine virtutum, summe admirabar: at ipsas,
O magis, atque magis de te, celeberrime Princeps,
Virtutes dictas; quæ si omni in Principe starent,
Felices Domini, felicia Regna per Orbem,
Felices populi per sæcula cincta manerent.
Quanquam in me vel nulla quidem, vel parvula virtus:
Ipse tamen celsæ, fateor, virtutis amator
Quippe fui, sumque, & qui illam dilexit, amavi,
Et colui, semperque colam, dum in corpore stabit
Spiritus, & vita vivet separatus ab ista,
Unde ego magnificis virtutibus, inclyte Princeps,
Afficior, cupioque tuis impendere grati
Nonnihil obsequii, quarum offero meque, meosque
Imperio, & nobis, precor, utere jure tuorum.
Eja age, perge viam semper virtutis, ut olim

Feci-

Feciſti, ac tandem te & laude, & nomine, & alto
Felicem faciet ſceptro, facietque beatum
Scandere cum celebri cœleſtia regna triumpho.

Vale.

GUINIFORTUS BARZIZIUS

JOANNI AUGUSTINO, ET CHRISTOPHORO BARZIZIIS

S. P. D.

ETſi nullum vos literis meis reſponſum nunc inter has bellorum difficultates daturos exiſtimo, à quibus, etiam nondum violatâ pace, perraras accipiebam; de iis tamen, ad quæ animum applicavi, ſcribendum apertè ſtatui: ut ea, ſi non cohortantibus vobis, ſaltem conſciis, & ut ſpero, approbantibus, Deo favente, ſubeam. Crebris equidem ſuaſionibus amicorum in eam ſententiam perductus ſum, ut uxorem mihi deſumendam cenſeam. Ad quam rem cum illorum auctoritas non parum, tum verò maximè & religio quædam, & ætatis, quam attingo, reſpectus, & ſtatus mei ratio impulit. Id enim mecum ipſe reputavi à Chriſtiano providendum, ne divina inſtituta contemnere videatur: neve occaſionem prætermittat, ſi quam ſibi dari intelligit, qua bona, quæcumque agat, Deo gratiora exhibeantur. Animadverti quoque matrimonio votum ineſſe, quo tacitè, ſi rectè attendimus, caſtitatem, obedientiam, & paupertatem profitemur. De caſtitate, niſi intemperantiâ corruptus, negabit nemo. Obedientiæ verò quis non intelligit ibi votum includi, ubi & vir ita ſe uxori aſtringit, ut proprii deinceps corporis dominus eſſe deſinat, juſque ipſius, Apoſtolo Paulo prædicante, cum uxore communicet: rurſus & uxor ita ſe viro ſubjicit, ut ſeſe illi gubernandam, regendamque committat. Paupertatem denique & eos paulò minus vovere, quàm qui monaſticam vitam ingrediuntur, verâ mihi quadam ratione perſuaſi: quia ut monachi ſe nihil proprium habituros jurant à monaſterii ſubſtantia ſeparatum, monaſterii tamen proventibus frui, quinimmo & ejus ampliare poſſeſſiones non recuſant; ita & vir, & uxor non ſolum

ſolum corporum mixtionem, atque animorum, ſed etiam rerum communionem: ut neuter ſibi uni proprium quicquam habere debeat: divino, & naturali matrimonii jure contrahunt. Divino, inquam, & naturali, ne quid in jus civile peccaſſe videar, quod in matrimonii dirimendi caſu, ut conjugatorum utrique proſpiceret, nonnulla in præſens cavit, quibus inter ipſos rerum diſtingueretur poteſtas. Sed non de iis nunc diſputemus, quæ ad forenſes controverſias pertinent. Ea definio, quæ ſentire omnes pro utilitate ſua, pro Dei honore, pro nitida veritate decet. Quas ob res vel Clero aggregari, vel conjugio necti quemquam oportere ſatius judicabam: tum ne laicus cælebs, & characteris ſacri genus ab Eccleſiæ Dei Paſtoribus traditum parum probare, & matrimonii ſocietatem ſummâ providentiâ inſtitutam ab ipſo Deo, ac maximâ benignitate conciliatam repudiare videatur; tum ut majus ſibi quiſque lucrum comparet, cujus opera bona longè præponderabunt, ſi voto adſtrictus ea patrarit, quàm ſi ſolutus. His in primis rationibus matrimonium ſanctè appetendum vidi. Id verò complecti, ne diutius morer, ætas admonet. Secundum enim ac trigeſimum vitæ annum me impleſſe optimi quondam patris noſtri ephemerales libri indicant. Quamvis autem incerta cuique ſit vivendi meta, quod juvenis pariter, & ſenex, quod puer, atque infans incognitâ nobis fati lege tollimur: non amentium tamen eſt cogitare terminos conſtitutos eſſe, quos præterire non liceat, eamque rem, dum viridis eſt juventa, poſteritati conſulere: cui nos paternas ad morum, nobiliſque alicujus diſciplinæ inſtructionem, ad eminentioris aſcenſionem gradus, ad propagationem prolis adjutrices manus, conſiliaque patrii affectus, ac prudentiæ plena porrecturos haud ſtultum ſit ſperare. Sed & ratio illa non levis eſt, quam rei familiaris, quam rectæ valetudinis, quam jucunditatis animi, quam integritatis famæ & tuendæ, & amplificandæ cura producit. Nam per Superos immortales, quo pacto erunt diuturnæ, quo pacto opes dici merebuntur, quas divitias vulgus vocat; ſi diligens, ſi fidelis, ſi modeſtus, ſi vel prudens, vel liberalis & miniſter, & diſpenſator deſit? Quem autem probæ uxori comparabo? Non me ipſum equidem; neque enim ſuſtineo ab incorruptis

ptis literarum ſtudiis ad caduca domeſtica ingenium declinaſe, Quàm bonæ valetudini conducat cum uxore modeſtè vivere, atque jucundè, tuum ſit Chriſtophore, qui præclarus es phyſicus, judicare; præſertim ſi me naturâ non imbecillem memineris, & animi nonnunquam ſupra æquum laboribus fatigari. Blaſphemet conjugium quiſquis velit, innumerabileſque moleſtias ſecum afferre calumnietur (quod neminem opinor facere, niſi qui aliud, quàm rem divinam in eo contrahendo potiſſimum ſecutus in fraudem inciderit) ego certè amœniſſimam in eo tranquillitatem, cordiſque hilaritatem ſuaviſſimam abundè me inventurum in Deo confido: à quo dum regor, nihil mihi deerit, quem in loco paſcuæ collocarit. Nomen lædi à nemine, aut labe contaminari meum ſuſpicor. Verùm, quoniam plurimi reperiuntur, qui alienos ex ſuis mores iniquè exiſtimant; tutius multò eſſe reor portum, niſi potior vetet cauſa, petere, quàm tenui cymbâ in alto navigare: ubi quaſi ventorum immanis rabies, repentinus populi rumor, facilè in eam ſævire poſſet. In rem itaque uxoriam converſus, ab eo lumen, atque præſidium, à quo hanc mentem accepiſſe me agnoſcebam, implorandum duxi: ut qui non libidinis ardore, non avaritiâ, non ambitione, uxorem me optare docuerat, mulierem ipſe animi ſcrutator, & cordium daret, cum qua unanimem in ſanctitate vitam fœcundè agam. Exaudivit, ut autumo, deprecationem meam Deus; propoſita enim mihi eſt virgo, in qua nihil exceptione dignum invenio. Ejus quidem placet ætas, nec formam repudio. Nulla quoque pro dote diſſenſio eſt. Genus autem omne in tertium uſque aſcendens gradum ſtudioſè ſcrutatus, eo undique parentum comperio ſplendore conſpicuum, ut nullam ei Mediolanenſem civem nobilitate natalium præferendam, paucas æquandas putem. Magnificis enim Mediolanenſibus Jacobello proavo, & Milano avo Ducali quondam Senatore Malabarbis: quorum & in hac Ciſalpina Gallia, & per Marchiam Tarviſinam, perque Hetruriam apud grandævos in honore adhuc habetur nomen, prognata, ſub patre Joanne multi conſilii viro, ac cive primario, ad ætatem penè adultam crevit. Maternam autem ex inclyto illo, & potenti Bergomate noſtro heroe Baldino Suardo proavo, & magnanimo Equite

te Joanne avo ducens originem, moribus, ac prudentiâ matronæ integerrimæ Luciæ matris ſapienter educata, egregiêque inſtituta eſt. Cæteros quoque majores, qui genituræ, intra quem dixi gradum, ſibi jus vindicant, nobilitate præſtantes fuiſſe accepi. Nam cùm ſingulis hominibus paternos gradus, unicum avum, aviamque unicam, binos verò proavos, binaſque proavias, par videlicet, alterum ex quo prodierit avus, alterum ex quo avia, cùm & maternos totidem, Pontificio publico Jure ſervato, adſcribendos non ignoremus; tres quaſi ex compoſito cum Joanne patre generoſæ in hanc virginem confluunt ex Marchia Tarviſina quondam potentes familiæ: quarum duas matrona, ut omnes prædicant, ſuo tempore ſingularis Urſula virginis avia, tertiam altera proavia Milani mater adducit. Tres quoque haud diſſimili viâ, ſed ex multo diverſis locis præclariſſimas agnationes ducit puellæ mater Lucia: quæ cum matris ſuæ genus monſtrat, conſequens eſt, ut huic filiæ proavum ex Papienſium clariſſima domo de Beccaria Zenonem Milani veteris filium, Equitem honoratiſſimum, conjugatamque illi proaviam patre Manfredo inclyto Salutiarum Marchione legitimè genitam fuiſſe dicat. Cùm vero maternam Joannis originem recitat, ex Cavalcaboum Cremonenſium familia, excellentibus viris, Comitatuſque illo ſæculo, ac Marchionatus titulis ſplendidiſſimâ proaviam alteram prodiiſſe teſtatur. Cognationes non mihi ſingulas exquirendas ſumpſi, quod earum indagatio tum in locis, ex quibus majores ejus ortos dixi, tum in aliis pleriſque habenda eſſet. Facilè tamen ſe mihi nonnullæ obtulerunt propinquâ vel conſanguinitate, vel affinitate conjunctæ. Duo enim Milano avo filii mares, Jacobus, & Joannes: duæ item fœminæ, Catharina, & Angela in ætatem proceſſerunt; horum majori natu Jacobo viro ſpectato, ac ſinè toga literatiſſimo uxorem ex Vicecomitum illuſtri genere, affinitatibus plurimis circumſeptam copulavit, quæ pulcherrimam ei prolem pareret. Joannis connubium, ut iteratò recitem, locus hic non admittit. Catharina, quam non modò nulla muliebris virtus fugit, ſed & peritia literarum, elaborataque illorum temporum eloquentia latè ſtupendam reddidit, Mantuano Equiti Feltrino ex heroica ſtirpe Gonzaga

zaga marito ſuperſtites aliquot reliquit filios. Angela verò matronalis pudicitiæ ſingulare hujus ſæculi exemplar, ac ſplendidum ſydus: qua nulla corpore compoſitior, nulla heroicâ indole venerabilior, nulla ſpectabilior geſtu, nulla honeſtate ſpecioſior, affabilitate gratior, facundiâ ſuavior, manſuetudine mitior, puritate ſincerior, nulla prudentior, nulla intra ſemitas magnificentior, nulla ſinè arrogantia gravior, ſinè jactantia melior, ſinè ſuperſtitione religioſior, nulla vel propitioris ingenii, vel majoris induſtriæ, vel artium, ad quas honeſtè muliebre ingenium ſe accommodet, plenioris, elimatioriſve peritiæ prædicatur in hac Urbe fœmina: claro ipſa inter nobiliſſimos Cribellos viro Jacobo nupta, eò rediiſſe media ætate creditur, unde ad nos delapſa videbatur. Præter hos alii uno gradu remotiores ſe offerunt ex Mediolanenſium primoribus familiis cives egregii. Sed quid tantum perfecta commemoro? pendentium maturitatem ſperemus. Ea certè pubes in hujus virginis domo eſt, qua ferè omnis in Urbe nobilitas neceſſitudine devinciri poſſit; huic enim generoſi animi adſunt fratres quinque, & ſoror unica. Ex Jacobo quoque patrueles ſeptem in utrunque partiti ſexum. Igitur ſi quis in uxore ſplendorem generis, ſi patriæ celebritatem, ſi conſanguineorum multitudinem, ſi claras affinitates plurimas poſteritati ſuæ quærit, majora opinor hîc ſe reperiſſe fatebitur, quàm optarit. Nunc quoniam alia quædam in matrimonio potiora expetenda ſunt: quæ ſi abſint, & fortunæ proſperitas conjugii tranquillitatem corrumpet, & perturbabit adverſitas, immo & quæcumque alia ſecuti fuerimus in deligenda uxore, commoda, facilè in detrimenta ſe vertent: nolo hunc ſplendorem, quem dixi, adeò perſtrinxiſſe oculos meos, vereamini, ut hæc mihi ſufficere ad maritale jugum illico ſubeundum putarim. Concedam equidem ingenuè conjecturam me optimam ex parentum claritate ſumpſiſſe, quod præexiſtentis in parentibus vel virtutis, vel ad virtutem diſpoſitionis vim in gignendis liberis non frivolam eſſe duco. Adjiciam & matronalem Malabarbam nitidiſſimam fœminam etiam atque etiam placuiſſe. Profitebor vehementiſſimum habere momentum, quod hæc ornamentis animi apud Luciam matrem ſapientiſſimam ſtudiosè erudita, quodque

apud amitam Angelicam Angelam amantiſſimè expolita fuerit; veruntamen præter hæc, virginis ego & naturam, & conſuetudinem honeſtâ viâ exploravi. Intellexi autem ejuſmodi eſſe omnia: ut qui puritatem in uxore, innocentiam, humilitatem, operoſæ vitæ amorem, ſobrietatem, pauciloquium, timorem Dei: qui neque ruditatem incultam, neque exquiſitum in exteriori apparatu ſtudium, qui nec animum demiſſum, nec cordis elationem: qui & hilaritatem non levem, & gravitatem non odioſam, qui moderationem in cunctis agendis laudatiſſimam; benè flexibile, ac minimè contra me pertinax ingenium: qui denique voluntatis conſenſionem, priuſquam pulchritudinem, quàm opulentiam, quàm natalium ſplendorem à ſummo Deo precibus, ac votis aſſiduè poſco: intellexi, inquam, ejuſcemodi eſſe omnia, ut ne minimum quidem ſcrupulum in re ulla ſentiam. Ab ejus itaque felici connubio nulla me ratio diſtrahet, ſi tamen huic cæpto præfuiſſe Dei voluntatem apertiùs novero; hujus verò declarationem ex præſtantiſſimi Principis Ducis noſtri approbatione ſecurus expecto. Nam cùm apud ſuam Celſitudinem eum mihi gratiæ locum permiſiſſe videatur, ut eo inconſulto rem tantam mihi ſubeundam non putem; Deum invocavi; qui ſecundum beneplacitum ſuum os Ducis aperiat. Quod quia futurum ſpero, quicquid ille mihi mortalis Princeps reſponderit, ex immortalis Regum Regis mente id manaſſe tenebo. Ex veſtro item, fratres optimi, judicio divinæ in hac re voluntatis conjecturam expectarem libens, ſi has incolumes deferri ad vos literas, rurſus & veſtras mihi deinde reddi conſtaret. Nunc, quoniam id dubium eſt, in omnem caſum provideo, ſaltem ne per me ſtetiſſe dicatur, quin mei conſilii vos conſcios facerem, Quod ſi rectè ſuſceptum exiſtimabitis, bono mecum animo fruamini: ſin minus id Deum pro veſtra in me pietate rogetis, ut vel non terminata impediat, vel irrevocabilia placidè leniat, in meliuſque reformet. Valete. Mediolani decimo quarto Calend. Aprilis 1438.

GUI-

GUINIFORTUS BARZIZIUS
EQUITI GUIDONI DE GONZAGA
S. P. D.

CUm literas ad te daturus eſſem, Eques magnifice, quibus & me tibi deditiſſimum pro tua dignitate, & arctius devinctum affinitate nova declararem, tuiſque mandatis obſequentiſſimum filium ſubjicerem; attulit mihi humaniſſimam tuam epiſtolam generoſus adoleſcens conſobrinus tuus Jacobellus Malabarba: multis præterea verbis tuam in me benevolentiam, etſi de illa minime dubitabam, edocuit. Is mihi dies quantum jucunditatis attulerit, non facilè dixerim. Simul enim & de tua incolumitate, quod ſummè audire cupiebam, & de paterna in me pietate cum ex hujus fratris mei ſuaviſſimo ſermone, tum ex literis tuis cognovi. Quas vero tuæ humanitati gratias agam, quæ me prævenire ſcribendo dignata eſt, nullas certè dignas invenio. Sed quid in animo ſedeat, dicam. Laudum quippe tuarum, atque virtutum contemplator ero ſemper, mandatiſque tuis, ac voluntati obtemperabo. Catharinam autem conſobrinam tuam, conjugem meam, cum divino, atque humano jure, meritiſque ejus, volens quidem, ac libens amabo unicè: tum veneratione tui omni pietate ſtudioſius colam, nec ſolum ipſam, verùm etiam omnem Malabarbarum domum, quam eſſe tuam ſanctiſſimè profiteris. Nemo erit præterea, quem, ſi ex tuis cognovero, non præcipuo amore proſequar. Hæc mea in te gratitudinis officia polliceor; ad ea ſi quid addi per me poſſit, attentiſſimè ſpeculabor: quem ſi vel hebetioris in prævidendo ingenii, vel obtuſioris eſſe perſpexeris, non ab tua erit humanitate alienum, quid velis, dicere. Vale. Mediolani ſeptimo Calendas Maji 1438.

GUINIFORTUS BARZIZIUS
PACHINO PERUSINO
JURIS CONSULTO

S. P. D.

QUod pro amico apud te honestissimum impetrare studeo, spectabilis Doctor, & vir gravissime, facilè id pro tua cum æquitate in omnes, tum præcipuè & in me charitate consecuturum spero. Superioribus diebus in æstimandis Papiensium facultatibus, gravatus supra vires suas fuit Hieronymus de Tinctoribus una cum Bartholomæo fratre suo; neque tunc sibi valuerunt querelæ. Nosti enim non semper, & ubique justas oppressorum querelas locum invenire. Nunc ego in integritate tua maximam collocare spem suasi, meamque sibi operam obtuli: non quod eâ opus esse apud te putarem qui in causa honesta optimus apud te & monitor, & pro iniquè oppressis ipse adjutor esse consueviſti. Impulit autem me singularis, qua huic Hieronymo obstrictus sum, benevolentia, ut in hoc casu me sibi non defuisse intelligeret. Nam cùm plurima, & quotidiana sua in me extent merita, utarque ego operâ suâ in his, quæ Papiensi in Urbe ad me spectant; dignum esse, ac necessarium putavi (nec ingratus videri volo) ut pro ipso me ultrò exhiberem, quem in meis rebus diligentissimum, ac fidelissimum semper, nullaque in re ad me pertinente unquam fatigatum comperi. Itaque, Pater singulariſſime, si meas semper apud te preces, quæ vel à solo amore, solave pietate manarent, tua pro humanitate plurimum valere semper voluisti; valeant quæso hæ plus plurimo, quæ non à benevolo solùm, verùm etiam ab memore, & grato animo proficiscuntur. Non peto, ut his assensum neges, qui fortè ut se allevient (quod à plerisque fieri consuevit) de concivium suorum opibus de industria magna solent prædicare. Nota enim mihi est tua & gravitas, & sapientia; neque peto, ut judicium, quod de Hieronymo, ac fratre suo facturus eras, ulla ex parte immutes; id enim rectissimum futurum fuisse non dubito.

Peto,

Peto, ut ei quod ſponte pro æquitate facturus eras, quæcumque amoris, ac benignitatis ſignificatio addi poteſt, eam abundantiſſimè cumules: ut is intelligat non ſolùm rerum ſuarum per te rationem habitam, verùm etiam ſe tuæ ſpectabilitati acceptum, charumque eſſe. Multis me beneficiis à te affectum confiteor, Pater mitiſſime: hoc erit mihi inter cætera ſuaviſſimum, eoque tuæ amplitudini me devinctum, vix credibile eſt, quantum putabo. Vale. Mediolani quarto Idus Novembris 1438.

GUINIFORTUS BARZIZIUS GEORGIO CATHALÆ

Regis à Secretis.

S. P. D.

AD magnificum heroem Franciſcum Scitigles de amore conſultus, veritatem potius, quàm vanitatem ſecutus ſcribo. Nonnulla vix ea de re attigi indeciſa percurrens; quæ, ſi diſcutienda fuerint, nos in Philoſophiam ducent. Nonnulla ex mediis Philoſophiæ clauſtris eduxi: cætera partim alieno teſtimonio comprobavi, partim cujuſque tacito judicio ex rerum præteritarum memoria, præſentiumque reſpectu, partim ex his, quæ vel in ſe ipſo quiſque ſentiat, vel in aliis cernat, fatenda propoſui. Velim, qui & doctiſſimus es, & mea ſtudioſè, & amanter legere ſoles ſcripta, paulò hæc diligentius conſideres; eorumque interpretandorum munus, ſi opus videbitur, accuratiſſimè pro tua in me benevolentia ſubeas. Rem hanc te dignam feceris: illam verò mihi expectatam, ſi quàm probabilis, & apud prætextatos, & apud togatos, & laicos, & Theologos viſa fuerit ſententia mea, tuis me literis certiorem feceris. Vale, & me ama. Mediolani quarto Calend. Martii 1439.

GUI-

GUINIFORTUS BARZIZIUS EQUITI FRANCISCO SCITIGLES S. P. D.

AUdies profectò Judicem, vir magnanime, qui certiſſimam de amore ſententiam ferat, cum Guinifortus à te in concilium doctiſſimorum hominum, heroumque illuſtrium vocatus ipſe conſederit: quippe quo nemo vel amandi peritior, vel amori & magis deditus, & minus ſubditus ſua ætate inveniatur. Quid de amore ſentiam, quæris, nec de omni quidem, ſed eo, qui generoſos animos plerunque agitat. Digna hæc nempe tua nobilitate quæſtio: & quæ, ſi vel ejus abſtruſi fontes educendi, vel ſinguli perluſtrandi ſinus fuerint, in immenſum nos Philoſophiæ pelagus immiſſura, atque inde ad excutiendos annalium codices tranſlatura ſit. Poſtquam enim amplam, atque profundam ingreſſi diſputationem conſtituerimus, quidnam ſit amor: quemadmodum in animos hominum influat: num extra hominem, an magis in ipſo ſit, amoris effectiva cauſa: quare hunc homini affectum natura permiſerit; quem inter cæteras animi perturbationes locum teneat: cur junioribus applicabilior, atque in eis vehementior, quàm ætate provectis cernatur: quot ſint rerum amabilium genera: in quarum præſertim rerum amore animus conquieſcat: ad quas res amandas ſe facilius applicet: quibus amabilibus potiſſimum inficiatur, quibus remediis vel ſanetur prorſus, vel ab ſumma corruptione defendatur; poſtquam hæc, atque his ſimilia de amore conſtituerimus, facilè in eam diſceptationem labemur, ut quæramus, plurane, ac majora tum ipſis amantibus, tum univerſo humano generi commoda, an detrimenta ferre ſoleat. Hoc verò quid aliud erit, quàm enumerandis amantium eventibus hinc ſecundis, inde adverſis, univerſam penè ab Orbe condito hiſtoriam evolvere? Ita, vir ingenioſiſſime, unâ propoſitione tuâ & phyſicos, & qui benè vivendi rationem tradunt Philoſophos, ita rerum & præteritarum, & præſentium gnaros negotio implicas. Verùm, quoniam hæc de amore, non differentiis ullis circumſcripto, ſed qui omnes complectatur amores, indagatio generalis, juvenilem illum, quem proponis, à commercio

mercio humano diminaret: quia is ille eſt, ex quo innumerabilia mala, graviſſima quidem prodiiſſe quàm ſæpiſſimè dicerentur; ego hujuſmodi conſideratione aliud in tempus dilatâ, nunc ad tuam me referam mentem, nec tam iis, qui multos oblectant, floſculis te ſubſternam, quàm ſuavi fructu ſatiare curabo. Animadverto, heros clariſſime, non de literarum, aut venationis, aut militiæ, non de laudis, atque honoris amore te quærere: qui ſi fortaſſe fugiendus dicetur, politicos in eo defendendo Philoſophos rigidiori Theologorum ſectæ oppones. De voluptuoſo illo quæris, cujus fomitem natura nobis ingeneravit, amorem dico in mulieres, nec de aſinino intelligo. Ego verò primum ſentio, non eſſe generoſi animi, quam tu ames, eam ſegniter, aut parum conſtanter amare. Quocunque enim ſe nobilitas applicat, in id quodam rationis judicio fertur, ei firmiter inhæret, totiſque incumbit viribus. Quare illos ignobilitatem ſuam turpiter fateri cenſeo, qui & multarum ſe mulierum amori, uno tempore, vacare, & prioribus relictis, novas in dies aucupari conſuetudines gloriantur. In amorem autem ſolâ ſpectatæ mulieris pulchritudine illici, minimè dignum puto. Nam cum forma ſenſum moveat, nec animo quicquam offerat, quo maximè voluntas moveri ſua ſponte debeat; non iſte amans ratione ducetur, quæ ſenſum deinde ſecum ad amandum trahat, immo ſenſui potius obſequentem habebit rationem; qua peſte nulla in homine fœdior, nulla deteſtabilior. Nec verò conſtans, aut diuturnus ille amor eſſe poterit, cujus unicum fulcimentum venuſtatem & ægritudine marcere poſſe, & aliquando ætate conſumi oportere non dubium ſit. Itaque decet, quæ digna tuo amore haberi mereatur, in ea primum egregiam indolem virtutis indicem, tum elegantes mores, tum pudicam oris feſtivitatem, ac ſermonis facundiam, tum in cultu, geſtuque corporis modeſtiam conſpici, quæ animum paſcant, ac mentis tuæ oculos perſtringant. Ita dum ratio tum hoc, tum illud approbaverit, haud temerè amoris faces in ſenſum jaculabitur. Id re ipſa expertus es. In aliis idem comperies. Quem enim mihi dabis magni animi virum, qui mulieris formam tantùm ſecutum fateri audeat? Nemo quippe erit, qui non aliquâ ex iis, quas dixi, cauſis, commo-

tum

tum ſe affirmet. Quanquam autem his rebus in amorem nos duci tolerabile concedam; habendus eſt tamen natalium reſpectus non levis, quamvis in multa rapiat amoris vehementia; nam qui ſplendidâ familiâ natus abjectæ fortunæ mulieri ſe committet, cunctis ipſe non immeritò ſe contemnendum præbebit. Cavendum quoque, ne ullius te amor illaqueet, à qua ſuſpicari poſſis non te unicè diligi; nobilis namque amor conſortem non admittit. Hinc ſæpe quoſdam ridere ſoleo, eorumque ſocordiam admirari, qui mulieris conjugatæ amore ardent, rurſuſque ab illa ſe amari putant. Suſcipe quæſo illorum defenſionem, ac mihi reſponde. Quam perfidam erga maritum adulteram noſcis, cùm ſibi una domus, communes fortunæ, quotidianus convictus, imperium in liberos, paulò minus & inſeparabilis copula eſt, denique & quæ fidem ſolemniter vovit, eam tibi fidelem quam ob rem credes? Et quum intelligis multa penes virum falsò confingere, ut ille ſe putet caſtiſſimè coli; cur ejus verba tibi de ſuo in te amore fidem facient? Dices, opinor, adverſus id, quod primo loco propoſui: non admittet alium: non aderit cuiquam tanta facultas, nec aditus incuſtoditos relinquam: exploratores quoque ſubjiciam, qui omnia ſubtiliter odorentur, ne me facilè fugiat, ſi quid latet. Non tibi animadvertis facultatem adeſſe viro inſcio, tametſi ille domi ſingulis fermè ſit horis? Quid autem facilius exiſtimas te admitti, viro malè ſuſpicante, & cautelas contra plurimas adhibente: an alium introduci, te ignaro? Quod ſi cuſtodes, & exploratores adhibueris, non erit acutior tua, quàm viri zelotypi vigilantia ad facinus detegendum. Interea moleſtiâ non carebis. Quod verò de præſenti erga te amore minimè fidendum nuper oſtendi: quoniam tibi fucata omnia, & ficta videri debent, nec credendum verbis, nec blandimentis acquieſcendum dicebam: adverſus id fortaſsè objicies, longè impar eſſe viri meritum ad amorem, qui ſtaturâ brevis, incurvus, edentulus, elinguis, pedibus laborans, inſipidus, atque ineptus, ſupra hæc mala in ſenecturem vergat. Ego autem hic non de tuis meritis, quàm amandus, ſed mulieris, quàm audienda ſit, diſputo. Mendacem illam, & ſimulatricem cùm eſſe conſtet, quantum figmentis, aut aſſertionibus ejus

acqui-

acquieſcas, dubitabis. Stant, fateberis, per me ſuperius adductæ rationes; ſed apertiſſimas alias quoque affero. Quis eſt verè magnanimus, qui filios ex ſe genitos non audeat ut proprios agnoſcere, ſed in aliena poteſtate relinquat? Hoc aut tibi de iis, quos ex te adultera conceperit, tolerandum erit, à non vero patre eos non vindicanti: aut illam te ipſo ſuavi conſuetudine chariorem in maximos luctus, atque immortalem infamiam conjicies; pariterque & levem te apud eam, immo perjurum (quod nimis à magnanimo alienum judicari oportet) fuiſſe oſtendes. Illud poſtremum adjicio. Magnanimus perfidiam execrabili odio perſequitur; nulla eſt autem major perfidia, quàm mulieris illius, quæ humana ſimul, & divina jura ſumma cum diſſimulatione contemnit, pudicitiamque ſuæ in primis commendatam fidei prodit. Sileant itaque, ſileant, qui amorem in conjugatas laudant, quem minimè dignum magnanimo demonſtravi. In virgines amor delicatus, ac nitidus videri poteſt, cui tamen duo nimis detrahunt. Primum, quod non ſine fraude virginem ferè in tuam ſententiam trahes: quæ cùm expers concubitus ſit, tota contremiſcet, atque horrebit, ſi tuam ſibi mentem expreſſeris. Propalativus autem (verbo enim utar Philoſophorum) & minimè dolis utens, magnanimus ab Ariſtotele prædicatur. Alterum eſt, quod non licet diuturnum te virginis amorem ſperare, niſi admiſceri perfidiam velis. Nam quo pacto, ſi matrimonio dehinc mancipetur, priſtinam conſuetudinem ſervare tecum poterit, niſi ſuperductum fefellerit ſponſum? Generoſus verò animus perennem, ſingularem, atque immaculatum amorem colit: cæteros quaſi vulgares, aut corruptos ſpernit. Viduam, ſcio, ſtatim propones, cui nec ſuperſit ætas, nec deſit forma, & adſint ea, quibus antea commemoravi nos in amorem duci, nos inquam; inter magnanimos enim amantes me quoque numero, immo ducem offero. An tu illam omni exceptione majorem cenſes? Non concurrunt, fateor, adeò vehementes rationes ad viduam ejiciendam; veruntamen, ſi nonnullas ex iis, quas adverſus conjugatam, virginemque adduxi, tu in conſultationem hanc revocaveris; intelliges profectò nobilitatem politicam majus quiddam ſpectare, quàm viduam. Ince-

ſtuoſas profectò moniales propulſemus, nec cœtui noſtro appropinquare ſinamus, quas veluti proſtitutas haberi convenit: non quaſi ſtipem accepturas dico, ſed execrabilis ſuæ libidinis explendæ gratiâ, facilè ſe multis exhibituras. Jam audire videor, Eques ſtrenue, querelas tuas, jam & ſuſpiciones intelligere. Quereris enim, quod tibi conjugatas inhibeo, quod nec virgines, nec viduas liberè permitto, quod ab Deo dicatis omnino deterreo; atque ita vereris, quò mea ſe intentio referat. Horret animus, cùm te cogito fortaſſis nefanda ſuſpicari, quæ tam remota ſemper à me, divino munere, fuerunt, quàm Occaſus ab Ortu, quàm à Superis inferi. Intra naturæ leges te contineo, & ad ſanctiſſimum jus voco. Uxorem jubeo, nec damno viduam. Elige, cujus nec forma contemptui ſit, nec tædio valetudo, nec ætas faſtidio. Elige inclytâ patriâ, claro genere, ſpectatis parentibus ortam. Elige acuto ingenio, tenaci memoria, facundo eloquio præditam. Elige mitem, benignam, affabilem, modeſtam, quæ nec humilia vel ſuperbè contemnat, vel quaſi præclarum aliquid in ſe habentia admiretur, nec altiora vel appetat arroganter; vel deſidiosè negligat; ſed ad omnia ſeſe tum ingenuè, tum prudenter, ac moderatè applicet. Elige, quæ non ſe ad puerilem compta modum viſendam ambitiosè oſtentet populo; ſed ea deſpiciens, quibus mulierum vulgus inſudat, cultu ipſa magnifico in publicum prodeat, matronalemque animum in tenera fronte inſignitum gerat. Manſuetioribus illis diſciplinis permitto inſtructam quæras, quas in muliere peregrinas appellare libet. Placet enim, ut cantu, fidibuſque ſonoris te oblectet domi, ut compoſitis aulam choreis exhilaret: ut & laudabilium rerum tum lectione, tum ſcripturâ, tum narratione, & facetiis, ſalibuſque modeſtis nunquam vel in ſolitudine otioſa inveniatur, vel in cœtu iners, aut agreſtis appareat. Elige, quæ rerum, perſonarum, locorum, ac temporum ſatis rationem internoſcere valeat: quæ muliebrium artificiorum egregiè peritiam teneat: quæ neque intractabili, neque vario ingenio, ſed diſciplinabili, & in quam volueris partem, à te flexibili ſit: quæ neque ſe laudantium quorumcunque moveatur vocibus, neque tamen, quid exteri ſentiant, parvi exiſtimet. Elige, cujus indo-

les

les puritatem redoleat, ſanctimoniamque promittat. Talem & ſapienter, & feliciter elegiſſe te gaudeo. Te namque digna eſt, nec alio quidem igne cor tuum incendi decet. Ignes cæteri magnas opes devorant ſæpe: valentes, ac robuſtos homines brevi debilitant, atque enervant: ſæpe multorum ingenia peracuta obtundunt: ſæpe memoriam exhauriunt, diligentiam extinguunt. Ignes cæteri calliditatem, ac vecordiam ingerunt, mendacia, perfidiamque inſtruunt, atque ad omne facinus acuunt. Ignes cæteri ſæpe famam bonam conſumpſerunt: ſæpe amicitias in peſtifera odia commutarunt: ſæpe jocos in luctum verterunt, maximorumque exercituum, & ornatiſſimarum claſſium miſerandas clades, agrorum vaſtationes, Urbium incendia, Regnorumque ingentes ruinas ſecum traxerunt. Innumerabilia ſe mihi ad id comprobandum exempla offerunt. Referti ſunt ferè omnes hiſtoricorum, ac poëtarum libri. Noſter autem hic cœleſtis ignis, nullâ permixtus ſorde, purus, atque illuſtris irreprehenſibilem, incorruptum, aureum, perennem, fœcundum, ſalubremque amorem gignit. Superioribus illis perraro uterque pari animorum motu, & conſpiratione accenditur, quin aliquid alterutra in parte ſubſit vel tarditatis, vel doli: hoc noſtro ex duobus animis unum conflatur corpus, unus animus coaleſcit. Superioribus illis diſſidia inter homines ſeminantur: hic unus & principio rerum caput fuit ſerendæ ſocietatis humanæ, & conſervandæ perpetuus cuſtos eſſe cognoſcitur; & ſi quo vel vitio, vel caſu uſquam dirempta fuerit, ſolet reconciliandæ quaſi interpres quidam optimus adhiberi. Superioribus illis ferino more progenies commiſcentur: hujus beneficio diſtinguuntur. Intercipies, non dubito, ſermonem meum, amantiſſime Franciſce, tuaſque mihi ſcintillas injicies. Dices enim, multa nonnunquam urgere, quas ob res non ſtatim applicandus ad rem uxoriam animus videatur. Multâ quapropter uxore frui non liceat, qualia nunc tibi accidere commemorabis, qui longa expeditione à propriis abes laribus. Palam quoque affirmabis non de conjugali amore te quærere, de quo rectè mecum ſentis; nec dubitas aliter ab ullo dici poſſe, niſi ab eo, cui non bono odio, quamvis bona ſit uxor. Fateberis autem illo te calore ſolicitum, quo juvenilis animus

plerunque ſolet in vetitum niti, & novitatibus delectari. Itaque, ne de me queri diutius poſſis, quod ea tantum audieris, quæ nolebas, tandem manu laxiore tecum agam. Equidem in ea ſententia maneo, quam paulò ante tuli. Prohibeo quidem, ne te ſola pulchritudine incendi patiaris. Quod ſi virtus, aut virtutis imago ulla, ſive illam in conjugata, ſive in virgine, ſive in vidua ſuſpexeris, ignem medullis infuderit; ſuavitati credo, quam animo inde percipies, nulla corporis voluptas comparanda erit. Miraberis tunc, ſcio, quænam ea ſit res, quæ tua præcordia penetrat. Non enim manu contrectari, non alio ſenſu corporeo percipi judicabis, quæ tamen animum perturbatione afficiet, ſollicitabit, interius uret: cùm interim, etiamſi poſſis, ea carere nolis; hinc rei novitate, ac ſtupore attonitus, in hos clariores cum altero Franciſco, Petrarcha videlicet, tremulâ voce Franciſcus erumpes.

S' Amor non è; che dunque è quel ch' i ſento?
Ma s' egli è Amor, per Dio che coſa, e quale?
Se buona; ond' è l' effetto aſpro, e mortale?
Se ria; ond' è sì dolce ogni tormento?
S' a mia voglia ardo: ond' è il pianto, e'l lamento?
S' a mal mio grado: il lamentar che vale?
O' viva morte, ò dilettoſo male,
Come puoi tanto in me, s' io nol conſento?
E s' io 'l conſento, a gran torto mi doglio:
Fra sì contrarii venti in frale barca
Mi trovo in alto mar ſenza governo,
Sì lieve di ſaver, d'error sì carca,
Ch' i medeſmo non so, quel ch' io mi voglio,
E tremo a mezza State, ardendo il Verno.

Quanquam autem non tibi ſatis ipſe conſtare vidêris, non mediocria tamen ex eo amore, illis ipſis ejus primordiis, incrementa ſuſcipies. Ille enim te ad excelſa eriget, ut nec velis puſilla intueri: ille te manſuetum, ac placidum reddet: ille te liberalem, ac beneficum: ille obſervantiâ in majores, ſtudio in æquales, faci-

facilitate in minores, gratioſum efficiet: ille te laudis, & gloriæ cupiditate inflammabit. Tu ut amore non impari amatæ accendas cor, exteriori cultu ornatior incedes, tu in domeſtico apparatu, ac ſumptu magnificentior, tu hoſpitalior, tu equorum avium, canum, ſervorum copioſior eris: tu à Muſarum ſtudiis non abhorrebis; hiſtorias noſcere pulchrum duces, non poſſe plurimis de rebus & noſtratibus, & externis ornatè cum circumſtantium attentione loqui, turpe exiſtimabis. Quamobrem accuratius eloquentiæ dabis operam: non in voce, ac citharâ pſallendi, non choreas ductandi rationem prætermittes. Agilitate corporis, pugillatoriaque arte cæteros ſuperare ſtudebis. Equi erunt tibi acres domandi, militaribuſque exercitationibus inſudandum. Nunc catapultâ, nunc tragulâ, nunc ponderosâ ſilice jaciendâ cum tuis æqualibus contendes, ſuperioribus verò te æquare conaberis. Nunc ex palæſtrâ, nunc ex equeſtribus ludis infatigatus victor abibis. Nunc Sereniſſimi Regis lateri officioſus aſſiſtens, præcipuam ejus in te clementiam promereberis. Si in pugnam eundum fuerit, ante aciem primus impetum in hoſtem facies. Si attentiores nocturnæ deſiderabuntur excubiæ, tu intempeſtâ nocte cuſtodes pervigil inſomnes reddes. Si conſcendenda Oppidi alicujus mœnia videbuntur, inter primos admovebis ſcalas. Quid plura? In armis te acerrimum, in victoria clementiſſimum præſtabis. Hæc tametſi, dum amori obſequeris, egregiè te aſſecuturum agnoſcis; nolo tamen credas, hanc ſatis eſſe tutam viam, aut planam, quæ ad ea pateat. Pleriſque enim locis eſt ardua, ſcrupuloſa, aſpera, locis pleriſque nimium præceps, ac lubrica: undique ſubſtrata laqueis, tota variis curis, ac ſuſpicionibus, tota ſolicitudinibus anxiis, tota laboribus, ſuſpiriis, cruciatibus, ac periculis circumſepta, incertâ ſpe, ac ſæpiſſime vanâ deſuper tecta, itaut verè dici poſſit:

Poco ama, ſe chi'n tal gioco s' arriſchia.

ſed qui hoc iter ingreſſus fueris, quoniam cæcum eſt, errorem ipſe tuum non facilè videbis. Quare alium audias oportet, cui neque prudentia deſit, neque experientia. Hujus epiſtolæ initio talem me jocabundus non inurbanè profeſſus fui. Nunc ſerio cùm loquimur, tuo Petrarchæ, velim, experto credas in hæc verba dicenti:

Or ſo

OR so, come da se il cor si disgiunge,
E come sa far pace, guerra, e tregua;
E coprir suo dolor, quand' altri 'l punge.
E so, come in un punto si dilegua,
E poi si sparge per le guance il sangue;
Se paura, o vergogna avvien che 'l segua.
So, come stà tra' fiori ascoso l' angue;
Come sempre fra due si vegghia, e dorme;
Come senza languir si more, e langue.
So de la mia nemica cercar l' orme,
E temer di trovarla; e so in qual guisa
L' amante ne l' amato si trasforme.
So fra lunghi sospiri, e brevi risa
Stato, voglia, color cangiare spesso;
Viver, stando dal cor l' alma divisa.
So mille volte il dì ingannar me stesso:
So seguendo 'l mio foco, ovunqu' e' fugge,
Arder da lunge, & agghiacciar da presso.
So, com' Amor sopra la mente rugge;
E com' ogni ragione indi discaccia;
E so in quante maniere il cor si strugge.
So di che poco canape s' allaccia
Un' anima gentil, quand' ella è sola,
E non è chi per lei difesa faccia.
So, com' Amor saetta, e come vola:
E so com' or minaccia, & or percote;
Come rubba per forza, e come invola;
E come sono instabili sue rote;
Le speranze dubbiose, e 'l dolor certo;
Sue promesse di fè come son vote.
Come nell' ossa il suo foco coperto,
E ne le vene vive occulta piagha;
Onde morte è palese, e 'ncendio aperto.
In somma so com' è inconstante, vaga,
Timida, ardita, vita degli amanti;
Ch' un poco dolce molto amaro appaga:

E so

E so i costumi, e i lor sospiri, e i canti,
E'l parlar rotto, e'l subito silenzio,
E'l brevissimo riso, e i lunghi pianti,
E qual' è 'l mel temprato con l' assenzio.
Crede & hæc dicenti:
Trionfar volse quel, che 'l vulgo adora.
E vidi a qual servigio, & a qual morte,
Et a che strazio va, chi s'innamora.
Errori, sogni, & imagini smorte
Eran d'intorno all' arco trionfale;
E falsе opinioni in su le porte;
E lubrico sperar su per le scale;
E dannoso guadagno, & util danno;
E gradi, ove più scende, chi più sale:
Stanco riposo, e riposato affanno:
Chiaro d'snor, e gloria oscura, e nigra:
Perfida lealtate, e fido inganno:
Sollicito furor, e ragion pigra;
Carcer ove si vien per strade aperte,
Onde per strette a gran pena si migra:
Ratte scese all' entrar, all' uscir erte:
Dentro confusion turbida, e mischia
Di doglie certe, e d' allegrezze incerte.

Considera, obsecro, singula, quibus non Stoicus Seneca, sed amans Petrarcha nos ab eo, de quo quæsivisti, amore maximum in modum revocare videtur; & tuam ita mentem compone, ut mulieri, quam natura imbecillam fecit, virum strenuum amando servire turpissimum putes. Ad superiora verò illa præclara opera, & laude digna quæcumque alia, non mulieris, sed virtutis amore, invitari magnanimum, atque incendi oportere censeas. In hac te sententia esse volo, quam simul cum iis, qui juvenilis amoris violentiam vel aliquando experti se ab ejus tyrannide subtraxerunt, vel ab initio usque prænoscentes vitarunt, ego supremam huic epistolæ imponens manum, apertâ voce fideliter, verèque denuncio. Vale. Mediolani quarto nonas Martii 1439.

GUI-

GUINIFORTI BARZIZII

JOANNI JACOBO MONTISFERRATI MARCHIONI

EPISTOLA

Alteri persona accommodata.

TAnto, illustris, & excelse Princeps, dolore affectus sum, audito Sereniſſimæ Reginæ filiæ tuæ obitu: ut non modò ad abstergendas lacrymas tuas parum me idoneum sentiam, sed neque ad me ipsum consolandum, aliqua ex parte viam inveniam. Cùm enim eo in Dominationem tuam animo sim: ut quemadmodum secundis rebus lætandum semper fuit, ita & casibus adversis acerbè commovear: non possum hoc tuum recens vulnus, quasi in præcordiis meis fixum non sentire, ut cum ipsâ per se tam gravi jacturâ angor, tum & doloris, quo te pro tua in hanc filiam pietate perculsum non dubito, magnitudine torquear. Accedit & meorum in te studiorum, consiliorumque execrabilis commutatio. Quo enim animo, ut alia præteream, quo animo: qui operam dederim, ut filiam tuam in ejus Regnum comitarer, si per hostium indulgentiam id licuisset: nunc me esse credendum est, cùm ad tui luctus societatem vocor? Qua mente, cum reliquam illam tecum saltem aliquando ad Dominicum sepulchrum navigandi, filiamque tuam suo in Regno, quà prætereundum fuisset, vivendi spem intempestivâ istâ morte interceptam video? Sed erigendus mihi est animus, excitandæ sunt vires, instaurandum ingenium; & quem æquè propinquum summo dolori natura esse non patitur, ipse aliquid tibi remedii, si non ad illum prorsus ejiciendum, ad moderandum saltem, ac remittendum afferre valeam. Se itaque ad te consolandum primo loco ostendit, atque offert, qui mentem adhuc meam occupatam tenet, mœror: ut & tui luctus me socium declarem, & plurimos esse commemorem, qui hoc idem, alii tibi necessitudine conjuncti, alii fide obstricti, alii amore devincti, alii veneratione devoti agunt: quorum, & pietas inter lacrymas suavis futura

futura ſit, & amplitudo, atque auctoritas modum ipſis lacrymis præfinire poſſit. Ea eſt enim mœroris natura, ut quò pluribus eſt communis, quò ſe in plures hominum ſtatus, quò latius in Provincias, ac Regiones plures diffundit, eò magis in ſingulis remitti ſoleat. Cùm verò ad prudentiam tuam, cùm ad animi firmitudinem cogitationes confero, longè majora mihi, & digniora de animi ipſius tui æquitate promitto: quem ſi fortè vehementius & jacturæ magnitudo, & paterni affectus vis diſcuſſit, non diutius abfuturum credo: quin ratione in conſilium adductâ, fatis potius, quæ nulli ætati parcunt, & Divinæ voluntati, à qua bona ſunt; quæcumque prodeunt, parendum, quàm tuæ in liberos pietati obſequendum putes; & qui modeſtiam ſecundis rebus, qui adverſis conſtantiam animi ſemper tenuiſti, nunc in filiæ unius amiſſione, vel ad æternum potius Regnum migratione Principem non minus te eſſe memineris, quàm patrem: ut cùm paternæ humanitati primos conceſſeris impetus, heroicæ magnanimitati aditum latiorem permittas. Ad hæc, ut non temporis diuturni lapſu te duci expectes, ſed magnitudine animi inſurgas, ſapientiſſime Princeps, qua in te ſum fide, peto, atque oro. Si lacrymis in hanc lucem revocari: ſi recuperari pecuniâ, ſi arte ullâ, aut ingenio: ſi denique vi, atque armis reduci ad nos filia tua poſſet; nullum prætermitteretur officium, quod ad eam rem ſpectare videretur; neque hic de me tantum loquar; incredibilem videres eorum multitudinem, qui tuâ cauſâ propè in lacrymas ſe reſolverent: qui patrimonia ſua profunderent; qui omnia diligentiſſimè perveſtigarent, atque experirentur: qui denique nec labores ullos ſubterfugerent, & quamvis horrenda, impigrè ſubirent pericula. Nunc, quando nullâ humanâ ope tibi reddi filia poteſt, ſatius eſt aliquando conticeſcere, quàm diuturnâ lamentatione, ſimul & contumacibus adverſus Deum ſimiles fieri: & eos, qui magis ſua damna lugent, quàm amicorum lætantur commodis, imitari. Quorum ab altero cùm tua in Deum religio abhorreat: alterum à magnanimitate alieniſſimum ſit; haud temerè in tua conſtantia conquieſcere incipio. Igitur, ei ne diffidere longâ oratione videar, finem verbis facio: unum illud adjiciens, nihil in me eſſe, quod non ad recreandum ani-

mum tuum ſtudioſiſſimè ſim collaturus, quacumque in re meum Dominationi tuæ officium acceptum fore ſenſero. Mediolani decimo octavo Calend. Februarii 1441.

GUINIFORTUS BARZIZIUS

CONSTANTIÆ VARANÆ

S. P. D.

QUid mihi, aut tecum, Latinarum virginum decus, ac ſplendor, aut cum Principibus magnanimis parentibus tuis, ut literas ad te dare non dubitem? Ullo ne vel tuorum in me beneficio devinctus, vel in eos officio meo notus, atque acceptus ſum illis? An verò tibi unquam ſtudiorum, quibus apprimè flores, vel ſocius, vel miniſter fui? Equidem nec nomen apud vos meum auditum exiſtimo. Sed me rapit, rapit, inquam, admiratio tui, incitatque præcipuus in Nationem, atque in ſæculum hoc noſtrum amor: ut & tuæ virtuti gratuler, & pro laude ſingulari, qua Italiam, qua hæc tempora, quæ vitam noſtram vehunt, illuſtras, immortales tibi homo Italus gratias agam. Nuper enim ex Joanne Meltio, homine ut magnificorum tuorum parentum obſervantiſſimo, ita & veritatis amantiſſimo, ad me perlatum ejus Orationis exemplum legi, quam tu non ſinè audientium ſtupore, ut ille teſtatur, (neque aliter credi poteſt) apud Marchioniſſam Blancam Mariam Sereniſſimi Ducis Domini mei filiam habuiſti: à cujus lectione cum me verborum ornatus, atque ſuavitas divelli non ſinit, tum ingenii tui promptitudo, atque alacritas in ipſo Orationis ingreſſu haud obſcurè expreſſa mirificè me delectat. Sed quid de moderatione tua dicam, cum & ampliſſimas Blancæ Mariæ laudes, quibus locupletari longè latèque Orationem poſſe intelligebas, ita complexa ſis: ut neque omnino præterniſiſſe videaris, & tu ab aſſentationis ſuſpicione remotiſſima haberi jure debueris; & dolores tuos, vel potius adverſos caſus (nam quod eſt conſtantiæ tuæ, nullam, ut conjecturam ex hac Oratione facio, dolori ſedem in te, Conſtantia, reliquiſti) cùm eos caſus ſignificari cauſa poſtularet, ita præter expe-

expectationem, ut opinor, audientium & jacturæ magnitudinem, atque acerbitatem, & muliebrem naturam cogitantium attigeris: ut cum illos commemorares, nemo tamen queri posset, inter læta convivia lamentationes lugubres immiscuisse. In quo mihi visa es puellares vix egressa annos, ac nondum adolescentiæ limen transvecta, nonnullos hodie multa exercitatione, ac longo dicendi usu Oratorum nomen adeptos, oratoriâ prudentiâ superasse. Maluisti enim, quid personis conveniret, quid tempori, quid loco, non quæ rerum copia, quæ verborum se offerret ubertas, spectare; atque ita ad causam accommodasti, ut neque desideraretur in te elocutionis splendor, cujus tibi, ut video, facultatem & ingenio, & studio peperisti; & inveniendarum rerum, tum earum delectus habendi, denique & disponendarum ratio, quæ maximè consilio, & prudentiâ constat, clarissimè eluceret. Cùm vero ipse mihi ante oculos cogitatione propono virginem annos quatuor & decem natam, suavi ad pronunciandum voce, & explicatâ linguâ, honestissimo vultu, & composito ad actionem decentissimo gestu, modum inter virilem animi præsentiam, & virginalem pudorem magno in conventu Principum tenentem: quæ una, tacentibus cæteris, graviter, & ornatè loquatur, in cujus unius faciem omnium oculi, atque animi intenti sint, à cujus ore omnes auribus pendeant: quid mihi tandem in mentem venire putas? quas & laudes, quas laureas decernerem, cùm te fuisse à Joanne Meltio scribente didicerim? Irascor equidem mihi, qui non tantâ sim eloquentiâ, ut satis dignum de te præconium & apud exteros Reges, atque Nationes, & in omnem posteritatem me transmittere posse confidam. Sed conabor aliquando, ut spero, & quantæ in hoc genere meæ sint vires, experiar. Nunc, quod nullo pacto tacere possum, gratulor tibi, virgo illustris, & tam nobilis, atque inusitati in muliere doni à summo Deo in te collati compensatione, ut damnorum tuorum memoriam lenias, quacumque humanitate sum, moneo; gratulor & tuis omnibus, quibus incorruptibile ornamentum affert adolescentia tua: præsertim autem optimo quidem jure gratulor inclytæ illi Baptistæ ex Monteferetrio maternæ aviæ tuæ: quæ cum humanitatis artium peritissi-

tiſſima judicetur, eloquentiæque ſuæ monumenta permulta conſinxerit: nullum pulchrius, nullum certius, nullum majori ſibi gloriæ futurum optare poteſt, quàm ut te neptem virtutis ſuæ quaſi ſimulachrum quoddam relinquat. Quas verò tibi gratias debeam: nec debeam ſolus ego, ſed debeat omnis Italia, debeat omnis hæc ætas, facilè conſtabit; ſi conſideraveris, quanta ſit Italiæ prærogativa, ejus etiam fœminas doctiſſimis cæterarum Nationum viris ornatè, appoſitèque dicendi ratione præſtare: quanta huic ætati conſolatio, quando priſcis Oratoribus ex noſtris par nemo reperitur, temporum ſaltem illorum fœminis haud inferiores noſtras literarum cognitione, & eloquentiæ facultate evadere. Quare & illud perſpicere planè liceat, non hominibus noſtris ingenia, non voluntatem ad optimas artes: ſed honorum præmia, quibus ad ſtudia incendantur, ſed magnarum, ac difficilium cauſarum diſertè agendarum morem excidiſſe. Quantas itaque me tibi debere gratias intelligo, quæ nobis hæc perfeciſti, tantas & habere tibi perſuadeas, velim: agendarum autem nullus vitæ meæ dies finem videbit; nam & animo te inſculptam geram, quam velut humani ingenii Platonicam ideam effinxi mihi: & quoties in contentionem de iis ventum fuerit, qui dicendo valere exiſtimentur, ſemper te ſingulari laude dignam prædicabo, quæ tam tenerâ ætate mira de te & indicia, & experimenta dederis. Illud poſtremo loco à te peto: quanquam hortatione mea non eges, ſed fidei plenus loquor: ut quæ proprio nomine Conſtantia nuncuparis, conſtanter in iis ſtudiis perſeveres, in quibus hactenus occupata non ſolum puerilia rudimenta depoſuiſſe, ſed ætatis maturioris, ac robuſtioris ſexus ornamenta, inſigniaque ſumpſiſſe judicaris. Quod cum diligentiſſimè ages, gratiſſimum erit, ſi te mei non immemorem eſſe cognovero. Vale, & ſi Minervam non impunis homo appellare ſum auſus, æquo id animo, ac benigno perfer. Mediolani quarto nonas Junii 1442.

GUI-

GUINIFORTUS BARZIZIUS JACOBELLO MALABARBÆ S. P. D.

PRopoſueram animo, Pater optime, nullas ad te literas dare, antequam certa mihi quædam ad ſcribendum materies digeſta eſſet: quæ & obſervantiæ in te meæ nulla ex parte remiſſæ teſtimonium aliquod non obſcurum afferret ſecum, & te minimè ab aſſidua tua in Deum mentis intentione revocaret. Sed vereor ne, dum ſtudeo nimis ſanctas, ut ait ille, parare nuptias, diemque ex die duco, poſthabuiſſe meum; atque ex eo quidem id gerere officium videar, quod non niſi ab homine vel ingrato, quem potius in tantis beneficiis impium dixerim, vel immemore, qui certè etiam ingratus habendus eſt, prætermitti poſſit. Quanquam, & tua lenitas animi, ac manſuetudo, & conſcientia mea non mediocriter adverſus ingratitudinis ſuſpicionem me conſolatur; & nonnullæ à me literæ ad Joannem Laurentium fratrem datæ, quibus ei mandabam, ut me apud humanitatem tuam excuſaret, planè docent me, non ſolùm teneri memoriâ tui, ſed etiam ſolicitari interdum, graviterque, ac moleſtè id ferre ſilentium, quod mihi nonniſi eâ, quam dixi, lege rumpendum putabam. Objurgavi itaque me ipſe ſæpius, cùm tuus in nos ſanctiſſimus amor obverſaretur ante oculos: qui eò majus, non dubito, quotidie incrementum ſuſcipit, quò ardentius in Deum charitate accenditur cor tuum, atque inflammatur. Meque ipſum nonnunquam inhumanitatis coargui, quòd ſinerem animum fortaſſe tuum vel aſpergi mœſtitiâ quadam, vel admiratione ſuſpendi, vel inani deſiderio tangi: qui nihil de me, de ſorore tua, de filiolis noſtris cognoſceres ex literis ad te meis. Nam ut mihi perſuadeo, quos partim naturæ vi quadam, partim benignitate tua, ac ſpontè olim tibi chariſſimos fuiſſe immortalibus in nos beneficiis comprobaſti; nunc unitatem, quæ nobis eſt tecum in Chriſti corpore, multo apertius, quàm cum una nobiſcum hæc inferiora incolebas, intelligens, perfectique amoris guſtu edoctus, qui omnem ſenſum exſuperat, animæ tuæ partem habendos,

dos, curandoſque exiſtimas. Objurgationes ego profectò meas, tanquam gravis alicujus cenſoris notam, reprehenſiones tanquam ſeveri judicis caſtigationem timens, cauſam omnem hanc meam ad te mitiſſimum non cenſorem, aut judicem, ſed patrem defero. Quid de me adhuc ſenſeris, ipſe tibi conſcius es. Quid ſentiendum fuerit, cauſa ipſa ex iis, quæ dixi, ſatis cognita judicatur. Denique ſtatue quem mihi apud te in amore locum ſervatum. Ego aliquid ſcripturus tandem, quando neque de rore Cœli, quantum oportuit, ſuſcepi, neque pinguedine terræ, ita à fructu frumenti, vini, aut olei repleta quaſi adipe eſt anima mea, ut eructare poſſe confidam cor meum verbum bonum; quid epiſtolæ committam, quibus eam rebus infarciam, ne inepta in ſapientis conſpectum prodeat, ne inſulſa, vel potius dicam, ne boni omnis humoris carens, ac penitus arida in menſam Domini ad Angelorum convivium perferatur, non habeo: niſi fortè inter exponendum querelas temporum meorum apud mei amantiſſimum, qui me gratiâ, & auctoritate conſolari, qui ratione, & ſapientiâ confirmare poſſit, etiam Dei providentiam, expromptaque ejus, omni tempore, tum prævenientis in benedictionibus dulcedinis magna præſidia, tum in neceſſitatibus non deſerentis multa ſuffragia recenſenda deſumpſero. Sed hanc quoque temporum meorum quaſi fabellam quandam multiplices, ac propè innumerabiles, ſi ab utero matris meæ repetatur, caſus, ac veluti fortunæ ludos continentem, ſilentio ſatius eſt præterire: ne ubi & figmentum, imbecillitatemque meam, & Dei dona ſempiterna gratiarum actione digniſſima, agnoſcere animo ſubmiſſo debeo, videar ipſe mihi ullam arroganter gloriam quæſiviſſe. Breve tamen quiddam non multis perſtrinxiſſe verbis liceat. Meum hoc, in quo tam variè jactatus ſum, vitæ curriculum, quaſi ludum quendam, ac ſcholam fuiſſe, ex qua his undique aures meæ vocibus perſonarent: non habere nos hic Civitatem permanentem, ſed qualiſcumque ea eſſe poteſt: homini ſapienti, & forti omne ſolum eſſe patriam: divitiæ ſi affluant, non eſſe cor apponendum, nec ulla in optimis numeranda, quæ invito eripi poſſint, neque fidendum ſecundis rebus, nec adverſis deſperandum; nihil eſſe putandum malum, à quo turpitudo abſit; diligentibus enim

enim Deum omnia cooperari in bonum: non innitendum prudentiæ noſtræ; ſed ad Deum referendum de rebus noſtris, jactandas in eum curas noſtras, ſuſcipienda ex eo conſilia. Nullum ſtudium ad auram popularem captandam poni oportere, quod neque conſilium in vulgo, neque ratio ſit, neque diſcrimen; ſitque populus iniquus dignitatis judex, qui non delectu aliquo, aut ſapientiâ, ſed impetu ſæpe, & cæca quadam temeritate ad judicandum ducatur. Nullum poſſe filiis patrimonium majus quæri, ampliorem nullam hæreditatem relinqui eâ unâ, quæ cum ingenii eruditione, liberaliumque artium doctrinâ, tum cæteris animi bonis, & honeſta vitæ inſtitutione conſtet. Qui mortalis ullius vel pollicitationibus, aut promiſſis, vel ipſius etiam beneficentiæ quamvis in multos perſpectæ opinione ducatur, hunc umbram quandam ſequi: qui quotidie ex craſtino pendeat, huic nullum vel mediocriter jucundum in vita diem videri poſſe. Si cui pro meritis minus reſpondeatur, æquo animo ab hoc ferendum, plus apud ſe officii reſidere. Omnia, cùm à vero, ſimplici, perfecto Dei cultu diſceſſum eſt, vanitatis plena inveniri, ut tamen ſi deteſtabilius id in quibuſdam judicari oporteat, innumeri tamen dici poſſint homines mendaces. Qua quiſque vocatione vocatus ſit, in ea & fideliter, & conſtanti animo, & cautè ambulandum, ſemperque vigilandum: reſiliendum, ſi quid offenſum: redeundum, ſi quid aberratum fuerit. Humanos caſus virtute inferiores habendos: nullo caſu, nulla vi ab officio recedendum. Si Mundus nos oderit, verſandum ſemper in mente, quomodo Chriſtum Dominum, perfectæ bonitatis hominem odio habuerit: quibus eum ludibriis Doctorem vitæ veraciſſimum acceperit: quot convitiis honeſtiſſimum omnium, contumeliiſque affecerit; quanto denique cruciatu, & quàm turpi morte innocentiſſimum è medio tollendum curaverit. Quæ certè meditatio verum mihi, vel maximum affert ſolatium ad eas animo non abjecto ferendas, quibus jugiter ita premor, & interdum penè proſternor, fortunæ injurias. Etiamſi nulli extarent Philoſophorum codices, nullæ literæ, nulla præcepta, potuit tamen in hanc me cognitionem ducere varia ipſa, & multiplex jactatio mea. Sed omnis huc recidit hujus doctrinæ ſumma, vel æquo, vel forti animo ferendam meam

am iniquam ſortem. At ego maluiſſem mihi ad magnas, atque præclaras gerendas res, quam aliquando oblatam putavi, opportunitatem dari. Sed auribus, ut video, lupum tenui, & lubricam anguillam caudâ prehendi. Nec tam eæ mihi datæ fuerunt ad magnificum uſum facultates, quas optaveram, quàm vel ad deſiderium magis acuendum monſtratæ, vel ad dolorem exaſperandum ſubtractæ videri poſſunt. Longè tu & felicius, & ſapientius, qui nihil ſine ſimulatione inter homines, pauca ſinè infidelitate tranſigi animadvertens: qui variam, commutabilemque rationem vitæ, qui fortunæ volubilitatem videns: qui quantis curis, laboribus, impenſis non ad præmaturum tantum interitum, ſed etiam ad æternam mortem unuſquiſque ſibi ut minimè iners putatur, ita maximè ruinam in hac cæcitate communis vitæ moliatur intelligens: qui tum urgentibus naturæ neceſſitatibus, tum morum, inter quos degendum ſit, pravitate ingruente, vix naufragium à quamvis peritiſſimo gubernatore, diligentiſſimoque vitari poſſe prænoſcens, procul ab æſtuoſo hoc ipſo, in quo fluctuandum fuiſſet, atque adeò conflictandum, immo fortaſsè pereundum, mari, relictis retibus profugiſti; & te in editum, ac ſupra omnes tenebroſi hujus aëris tempeſtates, atque procellas extantem locum recepiſti: ubi prò caducis poſthabitis firma, pro corruptibilibus æterna, prò terrenis Cœleſtia, omnibus fortunæ minis ſubtractus, etiam in carne mortali immortali mente ſecurè poſſideas, ſecurè, inquam, minimè videlicet perturbationis illius metu ſolicitus, quæ extrinſecus oboriatur. Nam à dimicatione adverſus ſpiritum, quin ad eam inſtructum ſemper, atque paratum eſſe oporteat, eximo neminem: quippe cum Jeſum Dei filium hominem factum, ab omni peccati contagione remotiſſimum: cujus quantum exaltati ſunt Cœli à terra, tantum exaltatæ erant cogitationes à cæterorum hominum cogitationibus: videam ductum in deſertum, & poſtquam jejunaſſet quadraginta diebus, tentatum à diabolo; Paulum quoque vas electionis de ſe ipſo dicentem audiam, ſibi eſſe datum angelum ſatanæ, qui ipſum colaphizet, ne revelationum magnitudine extollatur. Hieronymum non adducam huc loci ſeſe accuſantem, quàm diutiſſimè in eremo inter ſerpentes, & ſcorpiones verſatus,

tus, qui oblitus longa deſuetudine comedere coctum quicquam: qui jejuniis, flagellis, duriſſimiſque aliis caſtigationibus, pelle mutata, velut Æthiops factus, etiam intereſſet Romanarum puellarum choreis. Duo à me commemorata exempla ſatis unumquemque & monere, & excitare debent, & confirmare. Nam Jeſus, quem non mundiſſimum, ſed munditiam ipſam omnia mundantem, ſine qua mundum eſt nihil, appellare debemus, immundus à tentatione non fuit. Paulo autem Apoſtolo & periculum imminebat, ne aſcenderet in cor altum, neve efferrentur oculi ejus, ne denique elatus animo arrogaret ſibi gloriam Dei; & adeò vehemens tentator affuit, atque acer, ut illi pro reſtinguendo libidinis fomite, quo, tametſi in igne poſitus noluiſſet ardere, urebatur tamen, ad Dominum tertio rogandum humanis diffiſo viribus confugiendum fuerit. Sed quanta eſt pugnaturis fiducia, non dubitantibus præſto eſſe Dominum invocantibus eum in fide, ac veritate: quanta certantibus alacritas, qui credant præmia Dominum victoribus præparaſſe, quanta neque oculus vidit, nec auris audivit, nec illius ipſius lingua explicare potuit, qui in corpore ne ipſe ſuo, an extra corpus raptus ea ſpectaverit, non eſt auſus affirmare. Quàm ſuavis, ac dulcis eſurientibus, ſitientibuſve refectio, qui non in ſolo pane vivant, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei, cujus & calix inebrians quàm præclarus eſt? Quæ fatigatis, laborantibuſve recreatio, cùm Dominus ſupponit manum ſuam, ne ſi ceciderint, collidantur? Qualis jam prope interdum deficientibus conſolatio, cùm ad cor converſi vocem interiori aure acceperint de Cœlo dicentem: ſufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur. Videor profectò, ut quod nuper tibi parcius putavi, nunc pleniſſimè delatum me animadvertiſſe ſignificem, videor, inquam, ipſe mihi verè eſſe dicturus: ſi non tranquillitatem, ſecuritatem certè nulla in parte vitæ tibi, tuique ſimilibus deeſſe, quibus altiſſimum in ſe refugium, quò malum non accedat, nec appropinquet flagellum, poſuerit Deus; mihi verò, & cæteris, quibus non eſt integrum, quem tutiſſimum videamus, portum petere: quos vel uxor, & liberi divino, humanoque jure devinctos habent, vel univerſæ Reipublicæ ſalus, aut patriæ ſanctiſſima charitas impli-

catos tenet, expectandum est in hac lacrymarum valle: ut qui in altis habitat, & humilia respicit, suscitet à terra inopes, & de stercore erigat pauperes. Hæc ad te Pater, ut tu, fratresque tui: quibus sub devota obedientia est perquam jucundum cohabitare unius moris in domo, atque ambulare in ea cum consensu, quando longè melius saluti vestræ, ac securitati consuluistis: etiam pro me, pro vestra sorore, pro filiis nostris oretis Deum, ut faciat nobiscum signum in bonum, detque ita per temporalia transire, ut non amittamus æterna. Nihil à me aliud hac epistola expecta Pater. Vale. Ferrariæ sexto Idus Februarii 1443.

GUINIFORTUS BARZIZIUS

CONSTANTIÆ VARANÆ

S. P. D.

NOn conabor, magnanima virgo, verbis exponere, quanta me lætitia invaserit, cognito vestro in Tetrarchiam istam reditu glorioso: tum quod minimè ad id verborum copia succurrit mihi, tum quod temporis anguſtiis premor, ac vereor, ne simile accidat, quale superioribus diebus: cum illustrissimi Principis, ac Ducis Domini mei literas ad vos subsignandas eâ horâ accepissem, qua profecturus ad vos tabellarius jam ad conscendendum equum accinctus dicebatur, ut nullum mihi reliquum ad scribendum spatium viderem. Velim tu ipsa quàm rectè de meo in vos animo, qui certè deditissimus est, judicas, tam magnificè quo in vestra hac felicitate afficiar gaudio, sentias. Confirmet hæc Deus, quæ operatus est in vobis, nec diuturna solùm, sed perpetua esse concedat. Immortale meum est, optima ut ad vos semper affluant, desiderium. Tu me commendatissimum apud constantes dominas matrem, & amitam, apud Deo dilectos fratres, qua es benignâ in me voluntate, reddere stude. Vale Musarum eò magnificentior hospes, quò pinguiori, splendidiorique fortunâ restituta es. Mediolani quarto Idus Aprilis 1444.

GUI-

GUINIFORTUS BARZIZIUS
GALEOTTO BEAQUÆ
S. P. D.

QUod magnos rebus arduis adeundis, atque ſuperandis conatus adhiberi oporteret, non eram neſcius; nondum novis aut implicandum cogitationibus, aut agitandum curis animum tuum putavi. Nunc quoniam deſignatam provinciam, Superis approbantibus, feliciter iniiſti, nec ingenii tui diffido viribus; non dubitabo pro meo & in te amore, & pro te ſtudio in magnam te conſultationem vocare, meamque, ſi Deus dabit, ut in rem opitulari poſſim, fidem, operam, diligentiam polliceri. Viſus es mihi ſuperioribus diebus ab re uxoria non abhorrere. Ego verò, ſi cohortante egeres, non id ſolùm decere, ſed vix ſine reprehenſione ab homine contemni poſſe, qui vitam ſibi inter cives degendam conſtitutum habeat, multis rationibus, divinoque, atque humano jure docerem. Sed multis apud te ſuaſionibus opus eſſe exiſtimo. Itaque nullis verborum ambagibus me inſinuabo in cauſam. A te peto; ſi te purè à me, ſi verè ſinè ſimulatione amari putas, ſi non me aut omnis conſilii inanem, aut præcipitem ad res gerendas ferri arbitraris; reſcribe, quæ potiſſimum in deligenda uxore ſpectanda exiſtimes. Nemo quidem adeò eſt aut arrogans, aut ſtultus, qui ſi paulum ſe collegerit, omnia in uxore expetenda ſe aſſecuturum ſperet. Dos, forma, ætas, nobilitas, affinitates, honorum, & commodorum in diverſa & tempora, & loca, in varios fortunæ caſus adminicula, ſpes generoſæ prolis, virtus multiplex in virgine, tum ad vitæ jucunditatem, ac perennem concordiam, tum ad rem familiarem gubernandam, animumque viri multis eximendum curis, tum ad ea, quæ Dei ſunt, pudicè, ac ſanctè cuſtodienda, hæc ſi in deligenda uxore ponderari debent; ſi quid præterea expetis aliud, quis tibi ad ſingula animus, quidve è ſingulis, ſi non ea omnia præclarè ſe oſtenderint, ſis remiſſurus; intelligere ex te cupio. Difficilis, fateor, eſt rerum alienarum cura, ſed tuas cogitationes non extimeſco: qui ubi de tua dignitate, de commodis agendum fuit, nunquam vidiſti me expectare, ut monerer;

ſed ultrò habuiſti ſtudioſum tui. Rectè me, atque officio ad hæc motum, ſi te mihi permiſeris, aliquando intelliges. Vale, & Dei Numine invocato reſcribe. Mediolani ſexto Idus Maji. 1444.

GUINIFORTUS BARZIZIUS PIO II. SUMMO PONTIFICI S. P. D.

NOn verebor, Sanctiſſime Pater, ne vel nimiùm multa ipſe mihi tribuere voluiſſe, vel parum juſtus excellentiſſimæ tuæ Dignitatis æſtimator fuiſſe videar; ſi te ſummum Sacerdotem, ac Pontificem maximum, cujus adeundi facultas non abſit: atque eum quidem, qui cum optimis artibus omnibus, ac diſciplinis diutiſſimè ante Pontificatum clarueris, tum eloquentiâ in primis, maximâque dicendi copiâ, & vi habitus ſis illuſtris: ego privatus homo literis appellem, quaſi vel inter innumerabiles gratulationes, quæ publicè à ſublimioribus Orbis terræ Poteſtatibus undique ad te confluunt, verba à me non impudenter miſceri poſſe exiſtimaverim; vel ea, de quibus eſt gratulandum, non intelligam ex eo genere eſſe, quod incredibilem, atque immenſam dicendi ubertatem, ac divinum quoddam ingenium deſiderent; vel parum mihi ſuperioribus fuerit perſpecta temporibus & gravitas tua, & conſuetudo, atque natura, ut rectè agendi ſtudioſiſſima ſemper, ita ab omni ambitione quàm remotiſſima, hanc omnem excutit à me verecundiam, & veteris benevolentiæ tuæ ab nitidiſſimo ſtudiorum honeſtiſſimorum fonte profectæ recordatio, & recentioris humanitatis, atque humanitati conjunctæ benignitatis illius memoria, qua in Germania paucis ante annis in me fuiſti: clariſſimus ea tempeſtate Epiſcopus, primum cum in publico Principum Romani Imperii conventu difficillimis, iiſque admodum dubiis Catholici populi explicandis, conſtituendiſque rebus præeſſes: iterum cùm ego inde ad Cæſaris Serenitatem Orator ab obſequentiſſimo Sanctæ Romanæ Eccleſiæ filio, ac Principe illuſtriſſimo Borſio Eſtenſi Mutinenſium Duce profectus me contuliſſem, ubi maximæ quæque res Imperii te in primis auctore gerebantur. Hæc recogitantem, ut pleraque alia hoc loco miſſa faciam, ingens me fiducia capit, quicquid

ab

ab humilitate mea profectum in ſublimitatem tuam fuerit, non impudentiæ id ulli, ſed officio adſcripturam ſapientiam tuam: quicquid prætermiſſum, æquiſſimo id quoque animo in bonam partem relaturam. Quid eſt ergo, Beatiſſime Pater, quod epiſtolæ in tuum uſque conſpectum, etiam beatis Spiritibus verendum, penetraturæ committendum putem? Admonet me certè ratio, ut tibi gratuler, cujus in omnes humanitati amorem in me, benevolentiæ, ac benignitati gratum animum, ornamentis ingenii teſtimonium, virtuti laudem, auctoritati obſervantiam hactenus libentiſſimè præſtitiſti: deinceps religioſiſſimè cultum exquiſitiſſimum, atque honorem divino proximum redditurus. Gratulor itaque tibi, quod virtutis tuæ, quod ſtudiorum, periculorum, laborum toties pro ſalute publica ſuſceptorum cumulatiſſimè habita ſit, quæ ampliſſima haberi potuerit, ratio: quod ſummus tibi honos tributus, quod excellentiſſima in te Dignitas, ſuprema auctoritas, pleniſſima poteſtas, Dei optimi maximi conſilio, hominumque & ſapientiſſimorum judicio, & omnium conſenſu delata ſit; atque ut intelligas, non me vel falſo, vel incerto gaudio duci, gratulor tibi ſecundum cor tuum. Sic enim mihi perſuadeo, cùm ſacroſanctum diadema illud oblatum eſſet capiti tuo imponendum, non te id ſtatim cupidè recepiſſe præclariſſimum ſummi honoris inſigne, ac poteſtatis humanæ excedentis modum; ſed animo prius concepiſſe innumerabiles curas, ad quas vocarere, prævidiſſe labores, conſideraſſe pericula; denique & onus omne tum ovilis tuendi, tum longè maximè ſervandarum ovium, quod humeris tuis imponeretur, ſubtiliſſimè perpendiſſe, non ſinè horrore quodam immenſæ altitudinis, ad quam te extolli videres. Itaque maximum quidem in modum Beatitudini tuæ, ſed verè ut fides mea poſtulat, gratulor, non idcirco tantum, quod eminentiſſimâ in ſede ſis collocatus: quod tibi ſit rerum omnium ad bene in tanto culmine, beatêque vivendum facultas, & copia: quod tuum ſit Imperia conſtituere, Regnorum controverſias dirimere, Regna ipſa conferre, jura deſcribere: tuum ſit ad diverſos in Eccleſia honorum gradus alios, atque alios promovere, alios item Provinciis gubernandis, alios adminiſtrandis rebus aliis præficere: quos volueris pau-

pauperes ditare, ſordidos honeſtare, obſcuros clariores reddere; tuum ſit, inquam, tuum divinorum Sacramentorum omnium conferendorum poteſtatem, quibus viſum ſit, facere, immortaleſque animas, donec corporum clauſtris continentur, & ſolvere peccatis illigatas, & ligare ſolutas: qua una re non ſolùm mortales cæteros, ſed etiam Superos Filio Dei proximus antecedis. Hæc enim, etſi per magna ſunt, parum tamen firma per ſe, nec ſatis idonea cenſes ad veram pariendam gloriam, Sanctiſſime Pater; quæ etiam in eum conferri potuiſſe intelligis, qui vel ad ipſa ſuſtinenda longè eſſet impar, vel ipſis & uti poſſet, & abuti. Sed alia quædam ad hæc accedunt, immò antequam hæc evenirent, in te fuerunt: quibus efficitur, ut verè tibi, ac ſoli gratulari liceat. Non enim verendum eſt, ne hic honos, tametſi affert onus, quantum probè intelligis, tibi gravis poſſit videri; qui & optimis ſemper ſtudiis deditus, ac nobiliſſimarum artium ſcientiâ, rerumque multarum peritiâ, quaſi accuratâ quadam, eâque ad res gerendas accommodatiſſimâ ſupellectili inſtructus, in variis occupationibus ampliſſimo viro dignis ætatem egeras; & ſi quando tempus ullum tibi vacuum ab illis fuit, non minus otii rationem, quàm negotii habendam putaveris. Neque eſt expectandum à te, ut quod vulgo de aliis dici ſolet, Magiſtratus virum oſtendat. Ipſa enim ſatis, ac ſuper ſpectata eſt continentiſſima tua, atque integerrima vita, per omnes gradus perpetuo ſine ulla offenſione curſu ad ſummum culmen perducta, non per alterius injuriam, aut incommodum, ſed innumerabilibus tuis officiis in omnem Eccleſiam, ac populum Chriſtianum, tum privatis in ſingulos, quoſcumque tuo afficere beneficio potuiſti. Tuque is es, cujus non ambitioni, à qua ſemper abhorruiſti, beneficium; ſed virtuti, ſed ſapientiæ, ſed ſanctitati digniſſimum teſtimonium ab ampliſſimo, qui ſub Cœlo ſit, Ordine eſt tributum. Animadverto præterea feliciſſimâ hac electione materiem tibi quàm uberrimam ſuppeditari ad eam gloriam, quam veram inter mortales contingere poſſe homines ſapientiſſimi tradiderunt; ſiquidem ea eſt illuſtris, & pervagata magnorum, vel in ſuos cives, vel in Rempublicam, vel in omne genus hominum fama meritorum. Video quoque ad immortalitatem nomi-

nominis plurimas tibi opportunitates afferri; intelligo ad æternitatem beatæ vitæ præberi tibi quàm maximam facultatem. Quæ certè perſequerer ſingula, ac docerem, non ea me, ut libet, confingere vel amore deceptum, vel deſiderio ſolicitatum; ſed ea neque egent confirmationis ullius, apud te præſertim, qui te optimè noſti, metiriſque omnia prudentiâ tuâ: & ego ad te ſcribens non minus debeo conſiderare, quid caſtiſſimæ tuæ aures de te ipſo admiſſuræ ſint, quàm quid virtutibus debeatur. Ita clariſſimas complures laudes, quas ſingulares, ac proprias Æneas tranſmiſit ad Pium, tui obſervantiſſimus, ne quid offendam, præteribo; meque ab hoc gratulationis nondum ſatis explicato loco eò ſecurius abſolvam, quò mihi magis de tua æquitate promitto, te, qui tibi es optimè conſcius, in hoc facilè conſenſurum, & plurimas, & maximas, & juſtiſſimas mihi eſſe cauſas tibi tuâ causâ gratulandi. Sed cùm tibi gratulor, tum verò naturæ pro incredibili, quæ ad me pervenit, lætitiâ, nec debeo negare, nec poſſum: quin ipſe & mihi quaſi peculiari ovi tuæ, & Principi meo Franciſco * invicto, ac præſtanti Mediolanenſium Duci: Duci, inquam, illi, quem unum Sedes Apoſtolica magnanimum propugnatorem, & acerrimum quietis ſuæ vindicem, quem ſui obſervantiſſimum filium tua Sanctitas habet: denique & univerſæ Reipublicæ, quam græco vocabulo catholicam Eccleſiam dicimus, gaudeam, tanto in nos Dei bonitate, ac providentiâ collato munere: qui Paſtorem nobis dederit, qui tutorem, qui patrem, de quo ſperare omnia liceat, quæ hoc maximè tempore precibus, ac votis imploranda fuiſſent. Eum enim dedit, qui ſemper eâ fuit modeſtiâ, ut verendum non ſit, ne vel hoc in ſummum faſtigium aſcenſu, vel eventis ullis, quamvis ſecundis, extollat cor ſuum: ut vel ambulet in mirabilibus ſupra ſe, eaque negligat, quæ humilitatem Chriſtianam, ſimplicitatem ſapiant: vel quemquam ſive humilem, atque abjectum, ſive infirmum, aut quamvis morboſum, modò ne deſperata ſit penitus ejus ſalus, vel faſtidiat, vel contemnat. Eum dedit, qui cum dignitatis gradu unus eſſet de multis, qui paternâ ita ſe in omnes charitate eſſe, mani-

* Franciſcus Sfortia.

manifeſtis ſæpe indiciis declaravit: ut nunc non ſperare, ſed exploratum habere debeamus, patrem omnium factum eo fore affectu, ut jam non compatiatur laborantibus, ſed omnes ipſe, ſi fieri poſſit, ærumnas, omnes calamitates, omnia mala in ſe unum transferre, atque unus pro omnibus pati vehementer cupiat. Eum denique dedit, qui dudum ea prope divini ingenii ſigna in longè ante prævidendis rebus: ea conſtantis animi argumenta in dubiis adeundis: ea diligentiæ in magnis gerendis, ſolertiæ in impeditiſſimis celeriter explicandis, ſapientiæ in difficillimis ex ſententia conficiendis documenta præbuit, ut animadvertere planè liceat, ſummum ejus Pontificatum non caſu inciditſe in tempora hæc turbulenta, & ingentium cladium, & atrociorum minarum plena; ſed ab æterno prædeſtinatum à ſummo Deo, atque in ea ipſa collatum tempora, ut is præeſſet, qui & tantis malis quàm maximè vellet occurrere, & optimè qua ſuperari poſſint ratione teneret. Jam verò mihi & Dei ultionem his corruptis moribus metuenti, & tempeſtatem obortam, atque adventantem, quaſi è ſpecula quadam proſpicienti, maximam ſpem immenſa hac honoris, ac potentiæ ad virtutem, ſapientiamque tuam acceſſione excitari ſentio: qui rebus ſacris Pontificem ſanctiſſimum ad divinum ornandum, atque augendum cultum, placandumque Deum: qui perſonis, per quas ſacra ipſa adminiſtrari oporteat, Epiſcopum vigilantiſſimum ad eorum conſiderandas vias, dirigendos pedes, dijudicanda opera, exercendam pro cujuſque viribus virtutem, atque induſtriam: qui laboranti naviculæ Petri gubernatorem peritiſſimum, populoque omni, qui in ea ſumus; ſed iis maximè, qui primos impetus procellarum pectoribus ſuis excipiunt, & ducem maximum, tanquam alterum Moyſem de Cœlo demiſſum, & ſapientiſſimum Patrem divinitus datum intelligam. Hoc nos munere ab optimo maximo Deo donari, his præſidiis muniri, quantum nobis fuerit opus, neque ego facilè pro rei magnitudine dixerim, neque hic dicendi locus, ut id enitar, vel poſtulat, vel admittit. Nam & ipſe quoſdam mihi quaſi limites præſcripſi, Beatiſſime Pater, extra quos apud te verſari in tua laude non liceat; & ita epiſtolæ huic moderari debeo, ut quæ ad ſignificandam lætitiam incredibilem ſcribitur, ea neque

ad

ad deteſtanda vitia ſenſum tranſeat, quibus depravata rectè vivendi norma nunc à te, ſi unquam ab ullo, neque correctionem acceptura eſt, neque ad deplorandos caſus delabatur, quibus hoc noſtræ Reipublicæ corpus debilitatum, laceratum, & mancum ad interitum magis quotidie ruit: & ruit, quod triſtiſſimum eſt, videntibus nobis: ruit, quod miſerum eſt, patientibus nobis: ruit, quod turpiſſimum eſt, ita negligentibus nobis, ut non obſcurè conſenſiſſe videamur. Qua de re cùm te viderim, Æneam tunc Sylvium Antiſtitem clariſſimum in magno & illuſtrium Principum, & hominum in omni doctrinæ, & rerum genere præſtantium conventu graviſſimè cum omnium admiratione, ac ſtupore concionantem, & ſæpe amantiſſimè diſſerentem; quid eundem non ſperabo jam perfecturum nunc Pium ſecundum, Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſorem, in Jeſu Chriſti nomine mittentem rete, cui ſit data poteſtas calcandi ſerpentes, & ſcorpiones, ac montibus imperandi, ut ſe transferant in cor maris: Pium, inquam, ipſius Jeſu Chriſti filii Dei in terris Vicarium, cui & venti obediant, & mare: Pium divinâ providentiâ Regem Regum, & Dominum Dominantium. Mitto privatas, & eorum, quibus optima quæque optare debeo, rationes, & meas, quibus etiam ſpero, tuâ clementiâ fretus, me poſſe aliquid de tua Beatitudine polliceri; publicas tantum, quæ nobis cum cæteris ſunt communes, quod ea primum ſibi in me locum vindicare ſolent, volui attigiſſe ad communem omnium Patrem ſcribens. Te nunc, mitiſſime Pater, obſecro, ſi quando tuâ me gratiâ non indignum judicaſti; ſi tibi ipſe & conſcius bonæ tuæ mentis, ſi rectè factorum non oblitus: tu, qui optimè quantum eſt tibi à Deo creditum perſpicis: qui dies, ac noctes, quod tibi providendum ſit, cogitas: qui animo ad omnia erecto, excelſoque, atque invicto ſpem tuam in Deo in primis repoſitam habes: agnoſce libens Guiniforti tui fidem, gratulationes admitte benignus, omen bonum lætus accipe; & quoniam parum ipſe mihi dicendo ſatisfeci, tu quæſo, ſi placet, tacitus quod ab homine deditiſſimo uberrimum, atque ampliſſimum afferri poſſit & tibi gratulandi, & incredibilem ex tua facultate ſuſceptam lætitiam declarandi genus excogita, meque illo uti voluiſſe exiſtima. Eundem, ut finem

nem tandem epiſtolæ faciam, ſummâ in tuam Beatitudínem obſervantiâ, in ſanctitatem religione eſſe judica. Mediolani quarto nonas Octobris 1458.

GUINIFORTUS BARZIZIUS
RAPHAELI CAIMO
S. P. D.

SUperioribus diebus, vir ſpectatiſſime, allato huc nuncio de Sanctiſſimi Patris, ac Beatiſſimi Domini noſtri ad Summum Pontificem promotione, cui tuam omnem jam operam, atque ſtudium cum ſingulari fide, diligentiâ, induſtriâ præſtabas, eraſque in dies acceptior: magnum ego in modum tuæ, & virtuti, & fortunæ cum apud multos, tum in primis apud communes neceſſarios noſtros nobiles, & egregios viros Albertum Gambalotam conſobrinum tuum, & Philippum Malabarbam uxoris meæ fratrem ſum gratulatus. Nam, etſi neque ratio temporum noſtrorum, nec diverſitas occupationum ſatis hoc tulerit, ut mihi tecum familiaritas eſſe poſſet; tamen tantum apud me valuit optima de tua & honeſtate vitæ, ac propè dicam religione quadam, & prudentiâ, ac moderatione exiſtimatio: ut & te ex animo vehementer amarem, & ſecundis eventis tuis etiam, atque etiam gauderem. Ad hæc accedebat ea, quam dixi, neceſſitudo, quaſi vinculum quoddam ut affinitatis, ita etiam animorum, ac pignus. Sed & ſuaviora hæc omnia reddebat memoria veteris amicitiæ, quam à patribus noſtris ortam ego cum parentibus tuis perſanctè colui; & ejus propagandæ ſtudio in fratrem tuum, cum quo mihi potuit quandoque major eſſe rerum gerendarum communicatio, ſervandam, & ampliandam curavi. Eram autem contentus ſolâ hac (fatebor enim) quæ cum neceſſariis, & amicis communicaretur, lætitiâ, fructumque alium mihi nullum proponebam, quam ipſum lætari. At verò ſe mihi honeſtiſſima occaſio hæc ipſa tibi exponendi, & aliquid te dignum expoſcendi neceſſitas obtulit. Magnitudo enim meæ devotionis in Summi Pontificis ſanctitatem vicit pudorem meum, atque impulit ad gratulationes, quas de Summo Pontificatu ejus mente con-

ce-

ceperam, ad ejus Beatitudinem, quando coram depromere minus licere ſentio, aliquâ ſaltem ex parte per epiſtolam tranſmittendas. Qua in re confido, quâ eſt ſapientiâ, ſinceritatem meam facilè perſpiciet: eandem quâ eſt clementiâ, non aſpernabitur. Sed opus mihi eſſe arbitror perito, ſive interprete dicam, ſive patrono, qui & tempus, quàm maximè haberi poſſit gravioribus curis vacuum, atque aliâs aptiſſimum deligat ad eam epiſtolam Sanctitati ejus tradendam, & meum hoc vel officium, vel deditiſſimi animi argumentum ejus clementiæ quàm acceptiſſimum, meque illi commendatiſſimum reddat. Quem potius ad hæc conficienda adoptem, quæro neminem. Etiamſi adeſſet ejuſcemodi hominum copia, longè tamen mallem tibi maxima quæque debere. Rem totam humanitati tuæ, meque ipſum commendo, ac trado. Vale. Mediolani quarto nonas Octobris 1458.

GUINIFORTUS BARZIZIUS JACOBELLO MALABARBÆ S. P. D.

VIſitavit nos Deus viſitatione, mihi quidem miſerâ, vereor funeſtâ certè, tibi autem, mi Pater, ut de tua in Deum ipſum religione, atque obſervantiâ judicandum eſt, utili, & accommodatiſſimâ ad ejus in te gratiam, ex tua ſanctiſſima patientia, & æquitate animi cumulandam. Abſtulit enim mihi dimidium animæ meæ Deus Catharinam ſororem, vel potius dicam filiam tibi chariſſimam unanimem illam conſortem meam, fideliſſimam ſociam, liberorum autem meorum matrem, & optimam, & prudentiſſimam. Atque eo quidem tempore abſtulit, quo ſperabam futurum brevi, ut poſt innumerabiles angores tandem aliquando mecum optatum lætitiæ fructum perciperet ex vinea, quam plantavimus. Facilè quicumque ſciunt, quantâ concordiâ viximus, & quàm nobili, ac pretioſo theſauro ſum privatus, intelligere poſſunt quantam jacturam fecerim: immo quantum receperim vulnus, & in quanta amaritudine verſetur anima mea. Sed me in maximo dolore hæc una cogitatio conſolari (fateor)

debet, quod dilectiſſimam conjugem, cujus felicitati magis gratulari oportet, quàm meis incommodis mœrere, intelligo à variis, ac diuturnis morbis, atque languoribus ad firmiſſimam valetudinem, à plurimis laboribus, atque moleſtiis ad ſummam quietem, à caducitate carnis hujus ad vitæ immortalitatem vocatam, Deo, quem fideliter agnovit, ingenuè timuit, religiosè dilexit, & coluit, ſpiritum reddidiſſe. Ita enim vixit Catharina mea in hoc æſtuoſo, atque importuoſo communis vitæ mari, ut ſinè dubitatione credam, & acceptum Deo miniſterium ejus, & gratam converſationem fuiſſe. Ita è vita hac fragili, ac ærumnarum plenâ exceſſit Catharinæ meæ nobiliſſima anima, & Apoſtolica auctoritate ab omni peccatorum nexu pleniſſimè abſoluta, & Sanctorum fulta ſuffragiis, & omnibus Eccleſiæ Sacramentis munita, ut inſidias eam, ac tela inimicorum omnium evaſiſſe, & ad Cœleſtem patriam perveniſſe, æterna à clementiſſimo Deo præmia percepturam, ego in virtute paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſperem. Hæc me igitur cogitatio, hæc ſpes, hæc fides conſolatur in afflictione mea; facitque, ut jam non æquo tantum animo tolerare, quod recuſari non poteſt, ſed cum gratiarum actione ferre quod Deus voluit, me poſſe confidam. Quanquam autem de Catharinæ meæ ſalute mihi tantum promitto, quantum intelligis: nihil tamen prætermittendum ſtatui ad Dei miſericordiam ei abundantiùs impetrandam. Idem te facturum certè ſcio, qui illam tantoperè in vita amaſti, ut neque Ambroſii in Marcellinam, neque Benedicti in Scholaſticam ſorores dilectioni, quantum vel temporum, vel perſonarum tulit ratio, voluiſſe cedere videaris. Reliquit nos hæc anima ſeptimo idus Martii, adventante horâ tertiâ ante lucem, nullâ, ne minimâ quidem, acerbitatis illius ſignificatione factâ in ipſa diſſolutione: atque ita migravit ad Dominum. Ego me nunquam ſolum, nunquam à Catharina mea deſtitutum putabo, à Catharina, inquam, mea, magnanima illa, & verè quidem magnanima matrona: cujus animus non inani gloria tumens, non fuco ullo infectus, non lumen aliunde mutuatus, falſo homines fulgore perſtringebat, ſed verum, propriumque virtutis ſinè ſimulatione ſplendorem ſub ipſum uſque Dei conſpectum

ctum mittebat. Quemadmodum ipsa nunquam se à me deseri putavit, cùm sæpius in longas proficiscerer Legationes tardiùs rediturus; sic eam ego ad domicilium nobis in suprema patria ornandum profectam sperans, nunquam me ipsâ carere judicabo; seduloque operam dabo, Domino concedente, ut quam laborum meorum sinè querela, atque omnis in utranque partem fortunæ etiam cum gratiarum actione consortem, quam omnis vitæ concordissimam sociam habui, eam in Cœlis, cùm dies meus advenerit, inter electos immortali vitâ, ac sempiternâ gloriâ donatam inveniam, Regnum Dei una cum ea perpetuo consortio possessurus. Tu autem, mi Pater, qui in Cœlestibus jam mente versaris, & habitas, ea beatitudine fruere, quam sorori tuæ obtigisse, freti Jesu Christi Redemptoris nostri meritis, non irreligiosè speramus. Sed, si quid illi fortasse deest (quod de imbecillitate nostra subverendum est) idem ipse, qui majora quotidie apud Deum promereri studes, ejus nobis majestatem orationibus tuis, & Hostiæ, quæ Mundi lavit crimina, oblatione placatam redde. Vale. Mediolani quinto Idus Martii 1460.

GUINIFORTUS BARZIZIUS
JOANNI AUGUSTINO BARZIZIO
S. P. D.

EX Laudensi Urbe nonis Martii rediens, quò infelix ægrotante hîc uxore pridie ejus diei cum illustri Comite Galeatio Maria profectus eram, & uxorem ipsam offendi gravissimè laborantem, & literas tuas Salodii calendis obsignatas accepi, quibus te optimè de me, fortunisque meis existimare animadverti. Quàm longè tunc falleretur opinio tua, non est hujus temporis explicare. Quàm sim autem ego nunc in profundum malorum propè demersus, ad cætera accedente amissione unicæ dilectæ, & concordissimæ conjugis meæ, ejusdemque & prudentissimæ filiorum meorum, ac filiarum genitricis, & matrisfamilias diligentissimæ, calamitas mea me invitat, ac stimulis suis excitat ad scribendum ad te præsertim: cujus vel in me pietas, & commiseratio lenire dolorem meum, vel consolatio abstergere luctum

ctum poſſe videatur. Sed multa me ab hoc ſcribendi genere deterrent, ac revocant. Id tantum à te peto, mi frater, cogites quo me animo eſſe oporteat: etiamſi uxoris optimæ, ac de me optimè meritæ fortiter inæſtimabilem jacturam tulero, quoniam ita Deo placitum ſit: quo me tandem animo eſſe oporteat, duarum ætate jam adultâ virginum patrem, & patrem occupatiſſimum: adde & patrem parum iis inſtructum rebus, quarum ope homines ejuſcemodi ſe moleſtiâ levare ſolent. Omitto, quæ me præterea filiorum cura ſolicitet; ea etenim, etſi acriter urit, tamen relata ad filiarum cauſâ conceptos angores lenior videtur. Nec cætera attingo, quæ ad rem familiarem pertinent. Tu certè, quâ es, & prudentiâ, & animi æquitate, rectè conſtitues, quid de me ſentiendum ſit: neque hanc rem Philoſophorum more, ſed hominum modo definies. Vale frater, & cum mea cauſa dolore, quantum fraterno amori negare non poteris, contendes: tum pietati in animam Catharinæ meæ, quæ te certè ut patrem ſemper in honore habuit, plurimam apud Deum navabis operam. Mediolani quinto Idus Martii 1460.

GUINIFORTUS BARZIZIUS

PANTALEONI SUARDO

S. P. D.

SI, quod fruſtra ſæpius attentavi, nec poſſum etiam nunc ſinè lacrymis facere, ad te citius Pantaleon ſcripſiſſem de Catharinæ meæ ex hac vita exceſſu; accepiſſem hodie non mala punica dulcia, quorum illa guſtatu recrearetur interdum ſiti æſtuans, ſed amaras de conditione humana lamentationes, quæ doloris mei comitem, ſociumque oſtenderent. Sed habeo gratias diligentiæ tuæ: tu ignoſce, oro, non tam dico tarditati meæ, quàm dolori, & miſereat te laborum meorum, quos neque neceſſe eſt, neque meus in te amor patitur me narrare. Dominatur certè in me ratio, ut & intelligam quanta Dei clementiæ debeo, à quo uxorem acceperim virtutibus omnibus iis præditam, quas in matrefamilias egregia eſſe oporteat; & benedicam nomini ſancto ejus,

ejus, qui illam, (ut mihi religiosè persuadeo) ad se vocavit: non ut me fidelissimâ, atque amatissimâ sociâ, filiosque, ac filias prudentissimâ gubernatrice, ac matre optimâ privaret; sed ut ipsi pro singulari, qua hîc in adversis fuit, patientiâ, gaudia cœlestia, pro innocentia Regnum suum, pro modestia, & ingenua humilitate æternam gloriam, pro misericordia, & benignitate retributionem incomparabilem, pro religione non ficta se ipsum fruendum daret: etiam nos eò aliquando admissurus, modo à via, quam ipsa tenuit, non aberremus. In me, inquam, ut dixi, dominatur ratio; sed neque naturæ jus suum vel subtrahere ullo ingenio, vel ulla extorquere vi possum, neque filiolis nostris paternas curas negare debeo. Itaque piæ lacrymæ exitum sibi, etiam invito me, ac reluctante, inveniunt, quoties mihi (quod persæpe quotidie fit) vel immortalia in me nobilissimæ conjugis merita, vel maxima ejusdem in liberos nostros, in filias præsertim virgines jam adultas officia, quibus posthac sit carendum, pervadunt mentem. Hîc me æquo animo patere, obsecro, finem scribendi facere: sive hoc severiores perturbatæ mentis imbecillitati adscribendum censebunt: sive mitiores grati potius animi nobilitati, aut paterni affectus lenitudini tribuent: ego mihi licentiam de tua humanitate sumo reliqua non attingendi hac epistola, ad quæ respondendum esset. Vale. Mediolani tertio Idus Martii 1460.

GUINIFORTUS BARZIZIUS GALEOTTO BEAQUÆ S. P. D.

FAcile fuit inter legendum literas tuas intelligere, unde tam alienus à re uxoria factus in præsentia videaris: præsertim quam tu ipse & sapienter, & ornatissimis verbis accuratè commendes; satis enim esse putas ab ea una, quam nactus es, conjuge, durius fortasse nonnunquam torqueri, assiduè certè stimulari, neque oportere aliam superduci factionis longè diversæ: quæ, si quid tibi curis vacuum interdum fieri videtur, id saltem ipsa

ipſa ſibi omne deberi putet. Sed parum animadvertiſſe vidêris, quo conſilio ducerer ad eam tibi proponendam rem. Te enim ad matrimonii ſubinvitabam conjugium, ut perpetuâ, quam ſuaſeram, aſſumptâ ſociâ, multis levarere curis, multis ſolatiis reficerere. Unus enim ſuſtines omnem tum ſtudiorum, atque doctrinæ tradendæ, tum conciliandorum tibi diſcipulorum, tum & rei familiaris curam; providendum autem cogitabam de uxore, quæ nullas ſuâ modeſtiâ, neque interdiu tibi, neque noctu inferret moleſtias: cujus affabilitas fatigatum animum recrearet, delectaret convictus: cui gubernanda œconomica omnia ſecurè committerentur: à cujus propinquis, ac neceſſariis non mediocre honoribus, qui tuæ debentur virtuti, aſſequendis adjumentum, ad alliciendum etiam auditorum pluribus ex locis majorem ad te concurſum non contemnenda ſuffragia expectare deberes. Hæc tantum hîc matrimonii commoda enumero, quod ea in primis ad dubitationem tuam excutiendam apta exiſtimo. Aderunt & alia, quæ vel prima, vel maxima ſpectari oportet bona; omnique exceptione major ab eo optanda ſapiente, qui non ſibi in ſolitudinem ſecedendum ſtatuerit, proponetur virgo, ſi ad ſacrum matrimonii ſubeundum jugum te animum convertiſſe ad me reſcripſeris. Vale.

GUINIFORTUS BARZIZIUS
CHRISTOPHORO BARZIZIO
S. P. D.

QUotidie de te cogito, nec facilè dixerim, quàm me ſolicitet miſericordia tui: qui mihi unicæ filiolæ pater, amiſſâ in ipſo ætatis tuæ flore dilectiſſimâ conjuge, verſaris ante oculos; his enim, atque hujuſmodi cogitationibus de te affligor. Quæ dehinc futura eſt fratris mei * patruelis vita? An perpetuò in tenebris, ut ita dicam, degendum eſt ei? An ingenui ex eo liberi nulli expectandi ſunt, per quos familia noſtra ad pau-

* Erat Chriſtophorus filius Jacobi Barzizii Gaſparini fratris pluribus ingenii ſui monumentis relictis illuſtris.

paucos redacta propagetur? An rei familiaris gubernatio, & quod pretioſius eſt, filiolæ educatio, ancillarum, aut extranearum quarumvis matronarum fidei committenda? An divitias ipſe ſuas magnâ induſtriâ, multis ſudoribus, ſummâ diligentiâ & conſervatas, & auctas ſinè ſocia in ſqualore poſitus poſſidebit? Quod ſi nova ducenda videbitur uxor, an tanto vinculo temerè ſe implicabit, ut forſitan pro fœmina monſtrum, aut monſtri ſimile quidpiam, aut pro eleganti rudem, atque inſulſam, pro modeſta petulantem, pro magnanima vel puſillanimem, vel arrogantem accipiat? Et qui pudicam, ac extra omnem ſuſpicionem ignominiæ ſuæ, generiſve ſui poſitam, qui gravem, atque maturam, qui prudentem, & ad gubernacula domus idoneam ſe inveniſſe creder, in his, aut in horum plurimis fallatur; eòque ſe deductum ſentiat, unde non jucunditatem, ut ſperabat, ſed gravem triſtitiam, atque aſſiduum mœrorem hauriat? Hæc cogitanti mihi in mentem venit; ſi ab uxore animus non prorſus abhorret, qui certè non modò abhorrere non debet, ſed ad eam applicandus videtur; non tam expetendas tibi fore opes novas, quàm exquirendam ſociam, quæ & benè ſervare partas, & eis modeſtè uti ſciat; nec tam expetendam eſſe delicatam, ac lepidam adoleſcentulam, quæ totum fermè diem in ſe comenda, ac mollienda occupet, quàm verè pulchram, atque ita naturâ formatam, ut non ei ſit opus multo ad ſe ornandam ſtudio: ita inſtitutam ratione, ut corporis venuſtatem, ac pulchritudinem virtute animi decorandam, atque illuſtrandam, non fuco inficiendam putet. Virginem verò, non viduam deligendam judico, non quia viduæ matrimonium damnem, ſed quia tibi, & feliciter evenire, & quàm maximè fieri poteſt, cautum eſſe cupio, ut unanimem tecum, ac de te uno cogitantem, ut tui unius recordatione ſe oblectantem, tibi uni ut corpore, ita mente dicatam, atque devotam ſperare liceat: quæ in vidua, tametſi caſtiſſima ſit, eſſe vix poſſe arbitror. Quomodo enim vitare illam poſſe credam, quin ejus conſuetudinis quandoque meminerit, quam olim cum ſuo priori marito habuerit, quin mente quandoque delabatur in comparationem quampiam inter priorem, & præſentem: quin de priori quandoque ſuſpiret, & illius vitam,

ſi revocari poſſit, præſenti conjugio inter ſuſpiria illa præferat? Has cogitationes, hæc deſideria nonnunquam incidere, aut illam ingratam, atque inhumanam eſſe, quæ prorſus oblita omnium prioris viri meritorum ſit: immo & libidinoſam, quæ ita præſenti conſuetudine, ac novo amore abſorpta videatur, quis non facilè ſuſpicabitur? Igitur, quas dixi, in uxore ad honeſtum, laudabile, felix conjugium expetendas conditiones cum mente percurro, & præterea cogitatione perſcrutor, ubinam mulier inveniri poſſit: quæ virgo ætate matura, pulchritudine decora, valetudine firma, generis nobilitate conſpicua, claris parentibus orta, multis, ac magnis affinitatibus circunſepta ita educata, atque erudita ſit, ut honeſtatem, ut modeſtiam ſingularem omnibus in rebus præſeferat, ut vegeto ingenio ab omnis boni auctore Deo donata, prudentiæ non obſcura det ſigna; cùm, inquam, perſcrutor, ubinam talis inveniri poſſit virgo, atque ita inveniri, ut nos inveniſſe confidendum putemus, nec falli nos metuamus, quod aliquibus aliquando acci diſſeme audiviſſe memini: una mihi venit in mentem, in qua hæc omnia eſſe non ab aliis didici, ſed ſatis, ut arbitror, ipſe perſpexi. Non minus enim illi conjuncti ſunt filii mei materno ſanguine, quàm paterna origine tibi. Credo ſatis me intelligis, nec tibi eſt inauditum, quibus & nata, & prognata parentibus, atque majoribus ſit: non incognitum apud quos, & quo ſtudio educata, quos fratres habeat, quàmque idoneos, qui aſcendant, vel potius redeant in altiorem fortunæ gradum: non obſcurum, quàm claro utrinque genere fulgeat, quot præterea, & quantis conſanguinitatibus fulciatur, quarum nullam tibi gravem ullo tempore fore metuendum ſit; multas autem & contra adverſa, ſi quando, quod nolim, acciderit, præſidio, & ad honores ſuffragio habiturus videaris. Ex hac tibi & hilaritatem animi, & conjugalis tranquillitatem vitæ, ex ea prolis, generoſæ inquam prolis fœcunditatem; ſi ex parentum naturalibus vel animi, vel corporis bonis conjectura ulla ducenda eſt; ex eâdem optimam rei familiaris bene adminiſtrandæ rationem, urbanamque elegantiam quandam perquam decoram ſperare debes. Non intelligis, quid obſtet, quominus ad eam ſecurè animum applicandum videas: præſertim

ſertim cum, me tibi auctore, & harum, quas dixi, rerum vel exploratore, vel teſte, minimè ſubverendum ſit, ne fallaris. Ad Deum quod minoribus etiam in rebus ſoles, in hac omnium maxima, quibus ſe implicet homo, refer conſilia tua: à quo ſi quid igniculi accendi in te ſenties, facito me, ſi videbitur, de tua omni voluntate certiorem. Habebis fideliſſimum, tuique amantiſſimum, qui ſemper fui, fratrem: noſtra ergo, ſi à Deo erunt ſtudia, non irrita fore ſpero. Vale.

GUINIFORTUS BARZIZIUS

RELIGIOSO VIRO

MICHAELI BARZIZIO

S. P. D.

DUplici gaudio una me affecit hora, Reverende Pater, literarum ſcilicet tuarum lectione, ac noſtri Thomæ modeſtiſſimi adoleſcentis complexu. Succeſſiſſet & tertia voluptas, ſi motus ille animi, qui huc illum adduxerat, ſuam æquè in rem, ſicut in meam ceſſurus eſſet. Optabat enim, dum meus ad Sereniſſimum Regem reditus inſtaurandus eſſet, mecum navigare, quod minimè tuo conſilio tentatum à ſe arbitror. Suaſi ergo, ut ei ſe totum ſtudio, quod jam incipere ait, tradat; curetque tum ea re, tum virtutibus bene morato viro dignis præſtare cæteris. Idem ut ſibi tu perſuadeas, velim; tunc non deerit uberior, ut ſpero, gratia Dei: mea certè opera provida erit. Inſtituatur primum oportet homo venuſtis moribus, honeſtiſque diſciplinis, qui velit inter viros magnos cum dignitate verſari: quod ſibi per ætatem, ac valetudinem cum perfectè aſſequi nondum licuerit, nunc ſummo ſtudio ſuppeditat. Nunquam autem ego ex noſtris quempiam ſubducam, ut otioſus diu ſit: credo ſententiam meam non reprehendes. Sed de reliquis ſuis apud me ſermonibus jam loquamur. Narravit noviter plura, quæ anteactis annis non incognita fuerunt: interponam libens, ac debens, & ob Dei venerationem, & ob noſtram inter nos, quotquot ſumus, ſanguinis neceſſitudinem, ſi opportunitas aderit, vices

meas ad omnia, quæ in hodiernum uſque diem imperfecta jacent, complenda. Expecto quidem vel utrunque, vel alterum ex his, quibus cum res diſcutienda eſt: id agam quòd mea erga omnes communis fraterna charitas exigit. Non verebor ea loqui apertè, quæ ſi negligantur, in animarum diſpendium, honoris, ac famæ detractionem, opum conſumptionem ventura ſunt. Non deerit mihi ad hæc voluntas, non opera deerit, ut in Deo confido, ſanctique Spiritus gratiâ. Id precibus, ac ſacrificiis, ut divina concedat clementia, eniti, officium erit tuum. Quòd verò ad gratulationes tuas ſpectat, quod te boni mei, immo communis memoriâ gaudere, ac primâ tibi factâ relatione recreatum eſſe oſtendunt; tale id eſt, ut nullæ mihi eam ob rem laudes, nulla per me ampliandæ majorum noſtrorum famæ prædicatio, ſed ſoli Deo laus omnis, ac gloria tribuenda ſit; loquar enim non ſimulatè, apud te præſertim, qui & humanos defectus, & divina in homines continua beneficia ſemper contemplaris. Quantò magis me ipſum conſidero, quò perductus ſim, quodque mea poſtulant merita, ſive illa erga Deum, ſive apud ſæculi homines metiar; tanto magis ſola Dei, ac Domini noſtri Jeſu Chriſti in me pietate cuncta eveniſſe intelligo. Nullas itaque tibi gratias agere geſtio, à quo non mediocriter extolli video; ſed potius ad gratias Deo rectori meo tuis orationibus, & maximè his, quas in altari habes, agendas, tuam charitatem imploro; & novit Deus, qui auctor eſt, quis me finis ad exteras Nationes & prius traxerit, & brevi, ut ſpero, reducturus ſit. Opus tamen eſt, ut qui debilis ſum ad reſiſtendum, ne corruam, tuis, ac tui ſimilium armis proregar, ſuaſionibus ſcilicet, monitiſque ſanctiſſimis, atque aſſiduis apud Deum ex corde procedentibus orationibus. Poſtremum illud epiſtolâ complector, quod vix apud te locupletiſſimum hominem, nullaque mea ope indigentem proloqui audeo: ut me præſentem, abſentemque ad omnia tibi commodè ceſſura promptiſſimum in cunctis rebus pro tuo jure exigas. Vale.

GUI-

GUINIFORTUS BARZIZIUS
LUCINO FRUSIO
DUCALI COLLATERALI

S. P. D.

AD dolorem animi, quem ex morte clariſſimi Patris Reverendi Abbatis S. Ambroſii neceſſarii tui acerbiſſimum ſentio, alleviandum, unum præſertim conſolationis genus invenio. Animadverto enim, cum diligenter in vita id curaſſe, quod & Solon ille Athenienſis alter ex ſeptem ſapientibus Græciæ ſe cupere nonnunquam atteſtabatur: ita ſcilicet vitam ſuam inſtituiſſe, ut quàm multos interitu ſuo tum lugentes, tum gravi cordis mœrore affectos relinqueret; non ſolùm enim fratres, ac cæteros neceſſarios, clientes, amicos, Mediolanenſemque Divi Ambroſii Eccleſiam, cui digniſſimè præerat, deſolatos moriens dimiſit, ſed & in omni genere homines: cum plurimi reperiantur, qui ſuum hunc caſum ægerrimè ferant. Nam quid ſacrum Baſileenſe Concilium, cujus ipſe Legatus erat, in quo præſtantiſſimorum in omni doctrina, religioſiſſimorumque in omni profeſſione hominum, in quo ſumnorum tum in Eccleſia Dei, tum in ſæculo Principum conventus agitur, commemorabo? Quid Sereniſſimum Principem Regem Aragoniæ, à quo nuper hic noſter Abbas in teſtimonium virtutis ſuæ ampliſſimis ornamentis donatus fuerat? quid Illuſtriſſimum Ducem, cujus ſplendoris univerſum pene Orbem illuſtrantis, hic ipſe, de quo loquimur, verè quidem radius dici poteſt, enumerabo? quorum omnium animos non mediocriter hujus obitu pulſatos eſſe negabit nemo. Hæc tametſi magnitudinem jacturæ, quanta eſt, doceant, æquiori tamen animo ut illam ſuſtineamus, efficere debent: quia ad onus hoc perferendum pariter nobiſcum tanta hominum multitudo, tam firmæ Orbis columnæ concurrunt. Quare & gratias Deo potius habendas cenſeo, qui talem nobis, ac Patriæ, immo toti Mundo virum dedit, aliquando quàm dolendum, quòd ad ſe illum vocaverit. Idem ergo ut tu facias, quem incredibili mœrore confici non ambigo, non ſolùm ſuadeo, ſed etiam maxi-

mum

mum in modum oro. Possent aliæ rationes adduci; sed hæc quidem apud te, cujus constantia mihi perspecta est, satis ac super dicta esse arbitror. Non dubito aliud quidem huic meæ epistolæ inseri, in quo tuam humanitatem in re non levi maximè oratam faciam. Intellexi, apud Antonium quendam olim Abbatis domesticum esse omnes illas scripturas, quæ ex Sicilia ferebantur; inter quas sunt nonnulli fasciculi ad me literarum: item alii ad venerandum Regium Procuratorem in Basileensi Concilio existentem. Novit prudentia tua, quantum nobis damnum contingere potest, si quo fortassis infortunio ad nostras manus hæ literæ non pervenerint. Te itaque per eam, quæ tibi, ac tuis olim cum patre meo fuit, amicitiam, quæque deinc inter nos semper inviolata permansit, obsecro, atque obtestor, ut & diligentiam tuam, & auctoritatem in hoc adhibeas, ut hæ omnes restituantur literæ; dabo enim operam ego, ut suas Regius Procurator accipiat. Hoc si confeceris, & viri boni, atque amici officio functus eris, & tuo merito me tibi devinctum habebis. Vale.

GUINIFORTUS BARZIZIUS

ZACHARIÆ RIDO

S. P. D.

POst tuum ex hac Urbe discessum, Pater optime, sæpius ad te scripturus fui: nisi me partim occupationes variæ impediviſſent, partim consilii de nonnullis rebus à te petendi occasio nunc primum maturè oblata me in longum traxisset. Quæ in buccam veniſſent, antea epistolæ inseruissem: jam verò de rebus seriis futurus est sermo. Mihi quidem in mentem venit, ut pro mea in inclytum illustris Mantuani Marchionis filium dominum Lucidum aliquid & studiis suis, & professioni meæ conveniens ad se scribam. Verum, quia neque meum est assentari, nec singula quæque de se laudabilia mihi sunt nota, quanquam universalis fama splendidissima est: peto, ut pro tua in me paterna charitate nonnullas ex præcipuis virtutibus suis per literas tuas

tuas explices, quas ex te me didiciſſe profiteri valeam: quibus in hunc uſque annum ſtudiis operam dederit: quàm ſe attentum ad Juris ſcientiam capeſſendam præbeat: quàm affabilis, & benignus, heroicâ non poſthabitâ gravitate: quàm affluenter à natura dotatus bonâ valetudine, formâ, robore, atque agilitate ſit: quàm ingenii perſpicaciâ, memoriæ tenacitate, facilitate loquendi, cæteriſque vel animi, vel corporis commodis à natura proficiſcentibus ſit ornatus, ex te audire cupio: ut quicquid in ſententiam meam concurret, ad amplificandam orationem aſſumere poſſim. Virtutes honeſtâ conſuetudine, ac ſtudio quæſitas ordine te expoſiturum ſinè monitione mea ſpero. Cùm de his rebus eruditiorem me feceris, aucupabor otium ad ſcribendum. Aliud eſt præterea quidpiam, in quo judicium tuum expecto, priuſquam opus meum in publicum efferatur. Non ignoras, ab Illuſtriſſimo Duce Domino noſtro in me conjectam plebejo ſtylo commentandi Dantis ſarcinam. Incidit autem, ut quodam in loco per Virgilium apud Dantem habeatur ſermo de Mantuanæ Urbis origine. Ejus itaque ſententiam expoſiturus ego, libenter in Commentariis meis aliqua inſerui laudem illuſtris Marchionis ſinè aſſentatione attingentia, quæ chirographo his literis incluſo ſcripta leges. Quæſo, ſi vel plura tibi, vel luculentiùs dicenda eo in loco videntur, in quo ex induſtria brevitate, ac ſermonis modeſtiâ utor in illa me tempora differens, judicium tuum ad me reſcribas. A te quaſi à patre moneri opto: tu mecum in his paternè ages; perpetuò verò ſtudebis illuſtri Domino noſtro, cui lucis nomen rectiſſimè convenire prædicatur, gratum, & commendatum me facere: cujus & ego Dominationi me offerre poſt tuas mihi redditas literas curabo. Vale.

GUINIFORTUS BARZIZIUS RODERICO FALCONO

S. D. P.

NOn dubito, clariſſime Doctor, & voluptate, & ſtupore non mediocri te affectum iri, cum his literis intelliges, me ad Regnum hoc, nullis tuis monitis præcedentibus, acceſſiſſe. Volu-

Voluptatem nempe non modo non tollere, verum potius augere, Deo adjuvante, cupio; admirationem verò prorsus, ut deponas, moneo: quod te facturum planè credo, si magis ad Sereniſſimi hujus noſtri Principis, ac Regis clementiſſimi ſplendorem, & excellentiam, quàm ad ea, quæ mihi ex hac profectione vel obvenerunt, vel obvenire potuerunt, incommoda, cogitationes tuas convertes. Quis enim eſt, qui ſi in ullo genere officii ſuam pro tanto Principe operam exercere ſe poſſe confidat, non ſtatim eligere debeat, neglectis omnibus aliis curis, contemptiſque periculis, tutum ſe illius obſequio tradere, ac ſummum in eo colendo ſtudium adhibere: cujus cùm tanta ſit gloria, ut neminem noſtræ ætatis Principem ſibi anteponendum prædicent omnes; tum in omni virtutum genere tanta eſt præſtantia, ut maximo etiam cuique ex majoribus illis, quos vetuſtas ampliſſimos tulit vel præferendus, vel comparandus non injuriâ videatur. Sæpe enim te laudes ſuas illuſtres proſequentem audivi, quibus ſummam naturæ bonitatem, ſummam ingenii perſpicaciam, rerum multarum cognitionem, honeſtarum diſciplinarum ſcientiam apertè in eo eſſe docebas: animi verò magnitudinem, ſingulariſſimaſque ejus dotes longâ oratione proſequebaris. Quibus rebus effeciſti, ut diuturnæ moræ impatiens, accedentibus præſertim cohortationibus militis prudentiſſimi Hugonis de Villafranca nunc Imperialis Conſiliarii, qui ſuperiori tempore apud Imperialem Majeſtatem Sereniſſimi hujus Regis erat in Urbe Mediolanenſi Orator; effeciſti, inquam, ut iter una cum eo ad hoc Regnum, Deo, ac Domino noſtro Jeſu Chriſto annuente, ſubirem. Quid verò deinde actum ſit, literis ad te ſcriberem, niſi idem iſte miles ad illuſtriſſimum Regem Navarræ cum Imperialibus mandatis accedens, te de omni meo ſucceſſu pro ſua in me benevolentia, & manſuetudine certiorem facturus eſſet. Audies ex eo & quàm benignè clementiſſimus hic Princeps me exceperit, & quid ſpei reliquum dederit: quæ quidem ſpes jam, ut firmiter mihi perſuadeo, impleta eſſet: niſi ex eo die (ſive fato quodam meo, ſive temporum qualitate, ſive Dei voluntate id evenerit) in mari aſſiduè claſſem hanc validiſſimam inſtruens verſata ſua Majeſtas fuiſſet. Tu autem, vir integerrime, cauſâ meâ intel-

intellectâ, quicquid in me celeriter promovendo impendere adjumenti poteris, id omne ut diligenter adhibeas, etiam atque etiam rogo. Gaudeo enim tuas ſuaſiones ad me in hoc propoſitum vel inducendum, vel confirmandum plurimum valuiſſe; ac etiam pro tuis ea in re conficienda officiis tibi me perpetuò devinctum concedam. Vale.

GUINIFORTUS BARZIZIUS

JACOBO CASINO

S. P. D.

CONſuluiſti me per literas tuas, quid de ſponſalibus per te contrahendis ſentiam; tuumque ad eam rem vehementem affectum non ſolùm accurato ſermone parefacere, verùm & ratione perſuadere ſtuduiſti. Equidem haud difficile judicarem in hac conſultatione ſententiam dicere; ſi non tantum dubitationis tuum illud perſuaſionis genus inferret, quantum leporis elegantiſſimus ſtylus attulit. Effeciſti enim, ut cùm id prius laudaturus fuiſſem, ad quod apertè inclinaris; nunc tui inſtituti cauſas intelligens, non modò in opinionem eandem non concedam, ſed ab illa penè in diverſam cogar. Miraberis fortaſſe, quam tuis rationibus interpretationem faciam: magis certè mirarer ego, quo ingenio illarum vim in tam periculoſo negotio retorquere coneris. Sed deſino hæc loqui, atque ad rem propius accedo. Nam id mihi oneris deſumpſiſſe videor, ut oſtendam tuis me rationibus non ad matrimonium, ſed cœlibem tibi laudandam vitam potius impelli. Igitur, ut quæ dicturus ſum non inficieris, quaſi non bene perceperim tua dicta; ea ipſa ut contexuiſti, ne minimâ quidem variatâ ſyllabâ, per diſcerptas particulas replicabo. Scribis enim in hæc verba: pridem, mi here, cùm varias, horrendaſque figuras mortis inſpiciebam ægrotus, nihil quidem mihi tam moleſtum, tam triſte occurrebat, quàm quod obiens nihil ex carne mea, nihil ex oſſibus relinquebam meis. Dehinc, nonnullis interjectis verbis, hæc ſubdis: meditabar nempe ſemivivus interdum Jovem ipſum Junonem ſibi ſociaſſe, nec eâ

quidem contentum solâ, cæteroſque Deos ſimile quicquam feciſſe. Denique demum depromens intentum ſubjungis: unde lapſi jacturam temporis flebam miſer, non pro me, aut carne mea laboraſſe tandiu conſiderans. Nolens igitur aliquando ad eandem redire mœſtitiam, uxorem ducere hoc in Regno, ſi aliud non ſuades, & conſulis, deliberavi. Iis inſideo aliquantiſper. Movet te, ut bene aſpicio, ad appetendam uxorem hoc in Regno mortis meditatio: movet & Deorum imitandorum religio. Sed vide quæſo; nam prius quod ad mœrorem illum ſpectat, quo mori metuens cruciabaris, commentabor; num juſtus ille fuerit dolor, qui cum ex una tantùm moleſtia proveniret, multas haud dubiè excludebat curas, & quidem graviſſimas ex his, quas temporalium recordatio ultimum obeuntibus diem afferre ſolet. Una hæc tibi ſemianimi occurrebat mœſtitia, quod prolem ex te, ſi fatum adimpleviſſes, relicturus non eras. Vehemens itaque ſatis cauſa judicari debuit, fateor: at tu mihi reſponde, quâ conſtantiâ tum fuiſſes, ſi te à tuæ dilectæ conjugis, à filiorum conſpectu, atque complexibus divelli, conjugalis, primique amoris peritus eâ ætate vidiſſes, quam tua per hæc verba notat epiſtola? at ſatis vixiſſe putabam, cum ſacratiſſimæ Virginis Filium, qui nobis dat vitam, æquaſſem ætate, & ſubtrahi me hac è luce, quo etiam ipſe trahi voluit, ævo, leviter ferebam. Viridi ergo illâ ætate, quot tibi triſtiſſimæ occurriſſent cogitationes? Deſeruiſſes enim uxorem annis juvenem, cujus te non ſolùm prior conſuetudo ad dolorem, verùm etiam futura ſolitudo ad pietatem commoviſſet: dubitaſſes poſt celebratum funus quâ in te obſervantiâ, quo in filios ſtudio, qua fide ſe exhibitura eſſet: metuiſſes, ne ſibi ſecundum adoptaret thorum. Tuam verò pro filiis ſolicitudinem qualem commemorabo? Nonne in tempore ad robuſtos, ſenſatoſque procreandos filios aptiſſimo, munere hoc tam affectato defunctus eſſes? nonne ab jam ſuſceptorum educatione, curâ, eruditione tum vacaſſes, cùm prima omnia poſt primum officia illis deberentur? Hæc nempe tibi in mentem veniſſent: quis filiis meis vel abundantiores copias ſuppeditabit, vel jam quæſitas ſinè dolo tutabitur? quis pro dignitate illos enutriet? quis bonis moribus, egregiiſque diſciplinis inſtruet?

quis

quis ab his malis, quæ fortunæ viciſſitudo ſubminiſtrat, protegeret? quis ſolerti vigilantia ad maturam ætatem deducet, ad civilia munera, ad publicos honores promovebit? Acceſſiſſet & tibi ad calamitatem quaſi cumulus quidam incertitudo vitæ ſuæ: virtutum plena, an vitiorum labe coinquinata, laudabilis, an obſcura, fortunis abundans, an egena ſecutura foret. Prætermitto philoſophicas rationes: quò magis in bene operando quis ſe exercet, eò magis in opere delectari; ſicque eò majorem, ſi ab eo diſtrahatur, afferri triſtitiam: ab culti agri ſegete, ab inſitæ arboris fructu prohiberi moleſtius eſſe, quàm nunquam vel agrum poſſediſſe, vel arborem inſeruiſſe: tolerabilius putari nunquam bono aliquo potiri, quam poſt ſuam deguſtatam ſuavitatem ab ejus pabulo excludi. Has enim, atque alias ex naturalis Philoſophiæ clauſtris ſumptas rationes ad ſuperiorum confirmationem adducere negligo: propterea quod ſuperioribus illis, cum manu palpabilia ſint, aſſenſurum te ſinè contradictione confido. Tantis itaque moleſtiis, cum ferè præſentem intuebaris perpetuum ſomnum, maritalis jugi, ac patriæ expers caruiſti: extra quas te poſitum ſi tunc; meminiſſes, ad ſolamen præcipuum, acerbitatiſque illius, quam maximam ſuſtinebas, mitigationem hic tuus cælibatus, ipſaque ſolitudo valuiſſent. Quod igitur corporis fortaſſis languore nimio correptus ea tempeſtate minus rectè appetiviſſe videris, tuum eſt nunc tranquillo judicio moderari; neque id veluti principium aliquod ad reliquam inſtituendam vitam aſſumere. Quod verò ad imitationem Deorum ſpectat, non improbarem, ſi vel Junone ſola non contentum fuiſſe Jovem tacuiſſes: vel tuis te malè actis commotum aliquando, ac perterritum non dixiſſes; hæc enim tua perlegi ſcripta. Occurrebant mala acta omnia, quibus ſummas Olympi arces, ni miſericors pepercisſet Deus, mihi prohiberi verebar: undique timores turbabant, & incertum iter. Nam ſi quæ adhuc tanti metus reliquiæ tuo hærent cordi; quid eſt, quod Deorum veſtigia ſequi velis, quorum ſtupra commemoras? Neque enim uno jure Deorum facta partim probare, partim accuſare æquum eſt: qui ut divino à te vocabulo exornantur, ita etiam divinâ obſervantiâ, ac veneratione digni judicari debent. At verò, ſi

ſtudia ſua ſeminandis liberis adhibuerunt, & tu ſequeris, an fortè ignoras tibi immortalem paratam mortem? Vereor, ſuperſtitioſa hæc religio ab eo te metu, quem & priùs ſenſiſti, & aliquando perpeſſurus es, non modò non eximet, ſed etiam vehementiorem illum, acrioremque offeret. Verum age, corruant hæ cunctæ ratiocinationes, prævaleant naturalia jura, quibus appetimus, ſi non in individuo, ſaltem in ſpecie perpetuari: prævaleant & metaphyſica theoremata, eligibilius eſſe, ne ſolùm dixèrim moriturum naſci, atque & orco perpetuo mancipandum aliquando in eſſe perduci, quàm ſub infinito illo non entis chaos perdurare: quas ob cauſas & pariter putemus vel malos potius filios, quàm nullos optandos eſſe. Age ergo, detur venia, uxorem capere indultum ſit. Qua ex patria diligenter inquiris? & ubi opportunius, quam hîc Catanenſi in Urbe, quam non ſolum Divis, ſed glorioſo etiam Agathæ ortu, & felici obitu, quæ Ætnenſes propellit ignes, Creator omnium decoravit? cujus fertilitatem, & terras, & vineas, ipſeque pontus indeficientem reddunt, alienigenæque, quocumque ſe conferant, hilariter commemorant. Celebratam ego patriæ ſanctitatem valdè commendo; earum autem rerum, quas enumeraſti, feracitatem in deſumenda uxore non laudo. Non enim me latet, quàm aptæ ad laſciviam, ſegnitiem, & ſocordiam hæ res fiant. Nam & vini licentia faces libidinis ſubminiſtrat, & ſaturitas panis torporem, atque inertiam cauſat; caſeique uſus non avarus, quin ingenium hebes, ac tardum reddat, ſapientibus viris non dubium eſt: univerſalem autem hujuſmodi ubertatem otium, animi negligentiam parere; ex otio verò nos in ſingula vitia, ex negligentia in extremam interdum inopiam ruere, experientia rerum haud fallax magiſtra edocet. Hæc non ideo à me dicuntur, quod fertilitatem Regionis prorſus fugiendam cenſeam; ſed ut intelligas, minus bene te judicare, qui ex Catana, quod frugum ubertate abundet, præeligendam tibi ſponſam propoſuiſti. Vincant ergo cæteræ, quæ in contrahendo matrimonio diligentius attenduntur, qualitates: conveniant Catanenſis virginis mores, atque induſtria: conveniant forma, ætas, valetudo, genus, educatio, divitiæ: appetibile ſit ejus conjugium: utrum à te appeten-

rendum erit, dubius fio. Nec jam te patiar neſcire, quæ ſit hujuſce ambiguitatis cauſa. Tu quidem ipſe extremâ epiſtolæ particulâ maxima quædam deſideria detegis, ad quæ pariter inclinari vidéris; hic enim epiſtolæ terminus eſt. Quæſo tandem votis faveas meis, & in ſemitam me dirigas, propitiuſque conjugio neceſſaria, & libens præbeas; nec ab hac quidem re alienum me habebis: tua dum inſeris, ſequar veſtigia, tibi obſequar. Ita & neceſſaria conjugio appetis, & me ſequi tua eſt intentio. Nihil ego conjugio magis convenire arbitror, quàm id, cujus gratia principaliter inſtituitur, ſocialem videlicet maris, ac fœminæ conventum. At verò dic mihi quæſo, quo pacto implere id poteris, ſi me ſequi volueris? An fortaſſis quaſi peregrinam tecum, quocumque ieris, uxorem duces? noles, ut opinor, in hoc ſingularis eſſe: nec tua in tuto res ſtaret. An potius ſæpe ad thalamos reditum impetrabis? non id ſinè jactura negotiorum tibi incumbentium fiet. Amplius & noſtra in hoc Regno manſio incerta cùm ſit, dum hinc remoti erimus, longum tibi pro reditu ſulcandum reſtabit æquor, plura ſubeunda pericula, ſuſtinendi non modici ſumptus, & (quod omnium difficillimum ſenties) negligenda, immo poſthabenda non ſinè famæ, ac fortunæ tuæ detrimento negotia publica; illudque vereor, quod nunquam ingenio ad maturanda, quæ tibi commiſſa fuerint, accedes: tuus immodicè pro abſente conjuge affectus animus aſſiduis ſuſpicionibus, deſideriis, ſuſpiriiſque vexabitur. Quod ſi in Hiſpaniam profecturus, quaſi novam ibi conſtituens patriam, eò etiam uxorem transferes, adhuc te alia vehemens ſolicitudo invadet; oportebit enim in pretioſo theſauro ab aſtutiſſimis furibus præſervando invigilare. Quæ tametſi ex noſtris etiam nonnullos ſtimulet cura, multò tamen in te acrior fiet, qui & Siculus es, naturâ ad hunc metum proclivis, & peregrinus: ea in Regione habebis nullum, cui theſaurum hunc ipſum, domo, aut ex Urbe, maximè vero ex Regno egrediens cuſtodiendum crediturus ſis. Excruciabit te, crede mihi, morbus iſte animi deteſtabilis; tum jurgia plerunque, nonnunquam & injuſtæ reprehenſiones, atque & graviora forſitan intercedent. Quid verò magis in matrimonio, quod ſummâ pace, & concordiâ florere debet, fugiendum è

Ita-

Itaque, ut finem faciam, vel conjugii commoda posthabenda, vel exercitium illud, in quo apud me versaris, deserendum videbitur. Tu quod tuæ rei conducat, diligenter considera: ego enim quid laudem, quid dissuadeam, vix satis invenio; quicquid autem feceris, ut bene tibi vertat Deus, cupio. Me certè, ut petis, in tuis commodis studiosum habebis. Vale.

GUINIFORTUS BARZIZIUS SIMONI ORIGONO CANCELLARIO

S. P. D.

DE patre meo, patre, inquam, illo, non qui me secundum carnem, sed qui in spiritu, & prima fertili, ad quam unquam promotus fuerim, dignitate genuit, nihil adhuc, nisi molestum audio. Ajunt enim illum in ergastulis illis vestris senescere. Quod quàm mihi grave sit, etiamsi loquendi libertas deest, non succurrit facultas. Doleo quidem, quod vir meo judicio optimus, ac virtutis amantissimus Joannes Olcina Regis à Secretis miserabilem in tenebris, & egestate vitam ducat; illud autem nimis acerbè fero, quod ego in his Regionibus multorum in me benevolentiâ, & pietate gaudens, illi ipsi de me optimè merito patri, ac domino neque auxilio apud quempiam, neque apud eum consolatoriis rationibus (quanquam sua mihi nota est constantia) neque subsidio, quod & ego, cui paulò plus nihilo est, alicunde corrasurus sim, opem ferre aut possim, aut non temerè audeam. Tu, si me amas, quod certè facis, mi Simon, dum tamen id liceat, personam meam indue. Tu alter Guinifortus in alterum Gasparinum, filii in parentem piissimi officia, quantum ratio temporum patitur, exerce. Ejus incolumitatem apud magnanimum Locumtenentem Ducalem, cui te acceptissimum esse magnum in modum lætor, nisi alia hinc ratio deterreat, commenda. Illum tuo sermone, si fieri potis est, interdum refice, meum sibi animum expone: quæ à me officia desideret, ex illo sciscitare. Equidem tanti virtutem facio, tantoque amore huic homini adstringor ut cum eo: dummodo id mea, vel in Deum religio,

vel

vel in Principem fides non improbet: cupiam, ne dixerim patrimonium, quod nuper ſarcio, ſed incolumitatem, valetudinem, vitam meam partiri. Vides, mi Simon, quid tibi oneris impono: qui hunc, ut verè dicam, Philoſophiæ patronum, quaſi patrem meum, quaſi tuum curæ tibi eſſe volo. Tu, qui in cauſa es, remque ipſam, ut ajunt, oculis cernis, quid attentandum, quid prætermittendum ſit, optimè diſcernes; idque ad eum ſublevandum pro tuo tum in ſapientes omnes animo, tum in me fraterno amore, ſedulò curandum ſuſcipies. Quicquid verò per me in eum vel commendationibus, vel epiſtolis, vel ſubſidio conferri poſſe vel tu ipſe perſpexeris, vel ex ejus ſermone cognoveris, ut ejus me certiorem facias, etiam, atque etiam quæſo. Vale.

GUINIFORTUS BARZIZIUS
LUDOVICO CROTTO
JANUÆ DUCALI LOCUMTENENTI
S. P. D.

QUod pro me ipſo apud humanitatem tuam nunc facturus eram, magnanime vir, niſi Deus ventura prævideus à calamitate me præſervaſſet, tuoque beneficio in tranquillo portu collocaviſſet; id pro viro de me optimè merito ſolicitè agere meus acceptorum beneficiorum non immemor animus cogit. Eſt florentiſſima illa in Urbe Januenſi inter cæteros Proceres, ac primarios viros captivos, Sereniſſimi Regis Aragoniæ à Secretis Joannes Olcina, homo non tam opibus, aut potentiâ, quàm auctoritate, ac rerum multarum adminiſtratione plurimos ex ſuis antecellens. Is me, dum ei proſperè ſuccedebant omnia, quaſi filium ex ſe genitum amavit; idque non verbis, ſed re ipſa, dum tempus tulit, ſæpe docuit. Converſæ nunc ſunt vices. Inhumanum me, atque ab omni anteacta vita mea turpiſſimè aberrantem negare non potero; ſi non hunc calamitate oppreſſum extra miſeriam poſitus in patrem meum agnovero; ſi non maxima, quæ præſtari poſſint, in eum pietatis officia contulero; ſi non ad ea omnia confugero adjumenta, in quibus ego, ſi in eandem fortunam

tunam incidiſſem, firmiſſimum ſalutis præſidium conſtituturus eram. Id itaque facere inſtitui: ad te præcipuum meum protectorem concurro: quò in me futurus eras animo, ſi captivus in tuam poteſtatem & ego redactus eſſem, & in patrem hunc meum, pro quo vehementiſſimè laboro, maximum in modum oro, atque obſecro, ut ſis. Si quid mihi favoris, quem non perfidia aliqua, non contumacia in claſſem duxiſſet adverſam, daturus eras; ſi quod ſingulare humanitatis, & benevolentiæ indicium oſtenſurus, id ipſum omne in virum hunc clariſſimum ut convertas, ſupplico: atque eò quidem abundantius in eum, quàm in me, quò dignior is eſt, quòve præſtantior, quem tuo beneficio ſubleves, quem in perpetuum tibi devincas. Sed jam deſinam precibus inſtare; ſatis enim cum manſuetiſſima tua natura, & conſuetudo benefica, tum ejuſce viri eximia virtus, & dignitas illum tibi commendatiſſimum reddet. Me tamen judicabo maximo à te munere cumulatum iri; ſi meam hanc interceſſionem, grati animi non obſcurum teſtimonium non parum momenti habuiſſe cognovero. Id autem ut largiſſimè tribuas, per tuam te humanitatem obſecro, atque obteſtor. Vale Mediolani.

GUINIFORTUS BARZIZIUS
SIMONI ORIGONO
CANCELLARIO
S. P. D.

POſteaquam ſuperiores ad te noviſſimè obſignaveram literas, mi lepidiſſime Simon, quibus ampliſſimi viri Regis à Secretis commoda ſolertiæ tuæ commendabam; non potui non aliquid literarum eam quoque ob rem ad ſingularem protectorem meum magnanimum Locumtenentem Ducalem dare. Eas itaque ſibi quamprimum ut reddas, oro. Gratiſſimam rem mihi, quod ſemper ſtudes, efficies. Vale. Mediolani.

GUI-

GUINIFORTUS BARZIZIUS RAYMUNDO DE MARLIANO S. P. D.

ETſi non dubitem, Raymunde mi ſuaviſſime, his te ornamentis inſtitutum eſſe, quæ vel in adoleſcente ingenuo deſiderari, vel in homine jam ſpectato expoſtulari ſolent, eaque re minimè exhortatione mea egeas; tamen viſum eſt & meo in te amore, & tuis honeſtiſſimis ſtudiis maximè dignum, ut aliquid ad te ſcriberem, quo tuum illud excelſum ingenium in his humanitatis ſtudiis ardentiſſimum excitarem. Ad quam rem ſi tardius fortè, quam ratio benevolentiæ noſtræ exigebat, acceſſiſſe videor, credo te pro tua modeſtia culpam omnem in graviſſimas, ac penè innumerabiles occupationes meas rejicere. Quod ſi in ea ſententia es, ut tarditatem meam accuſandam putes; non equidem antea nomen meum inter reos adſcribi ſinam, quàm te graviori laceſſendum calumniâ declaravero: qui, cum tanto abundes otio, ut non modo tempus ipſum, ſed te ipſum tibi, ut ex quodam nobiliſſimo juvene collega tuo percepi, afferre tædium dicas, non priùs hoc noſtrum ſilentium tuis epiſtolis interrupiſti; ſed paſſus es te ab homine omnium occupatiſſimo, ac variis curis anxio in hoc tam honeſto officio præveniri. Vide itaque, Raymunde mi, ne quam de me querelam facias, niſi omnem hujus errati ſarcinam in te unum converti volueris. Sed quid iſta commemoro, quaſi te comminationibus abſterrere opus cenſeam: quem non ſolum hæc non cogitare, ſed etiam vices meas, & fortunæ indignitatem ægrè ferre non diffido. Meritò te amo, jucundiſſime Raymunde, & ingenium tuum laudo: qui cum ex Urbe omnium noſtri temporis potentiſſima, ſanguine autem clariſſimo, parentibus verò magnificis, atque ampliſſimis ortus ſis, omnia circumſpicis, quæ te tuorum majorum gloriam adæquare, & virtute, ſi id poſſibile ſit, ſuperiorem efficere poſſint; eaque ſummo deſiderio amplecteris, quæ ad hanc rem conſequendam neceſſaria primum animadvertis. Quæ enim res per Superos immortales vel majorem nobis apud homines laudem comparare, hac una, quam tantopere affectas, civili ſapientiæ:

vel certiorem ad bene vivendum callem demonſtrare iſtâ ipsâ, in qua verſaris, Philoſophiâ: vel ad conſequenda omnia vitæ noſtræ adjumenta opportunior accedere eâ, in qua tantum profeciſti, eloquentiâ, ac dicendi facultate, poteſt? Rectè igitur omnia te prævidiſſe gaudeo, & tanto ea etate, in qua es, conſilio uſum eſſe plurimum demiror. Sed vide quæſo, ne tuam hanc inſtitutionem ex mediis Philoſophorum præceptis deductam ulla fortunæ vis, aut temporum perturbatio ſubvertat. Multa quidem à te perſpicienda ſunt, & pluribus locis invigilandum, forti animo, atque immobili eſt in tuo propoſito perſeverandum: non deſidiæ, aut puſillanimitati locus aliquis relinquendus, non laboribus, ac vigiliis parcendum. Et quanquam animus ita ad ea, quæ nondum attigiſti, confirmandus à te ſit, ut cum primum ratio temporum patietur, aggredi ea non dubites; majori tamen ad præſens curâ elaborandum eſt, ne quam magnis ſudoribus quæſiviſti, dicendi rationem diſſuetudine labi patiaris. Noſti enim quàm multis locis Dux noſter Cicero commemoret artem ſinè aſſiduitate dicendi non multum juvare: præceptionis rationes diligentiâ, & exercitatione obtineri: rurſum præcepta omnia ad exercitationem accommodari oportere. Hoc ſolum ut cures, te hortor. Cætera ad artem pertinentia tu ipſe ſine interniſſione pertractas, neque in otio te otioſum relinquis. Id autem, quod ad exercitationem ſpectat, non ſatis aptè ſolus efficere potes; quod ſi nullum tibi ſupereſſe affirmabis, ad quem literas tuas committas, propterea quod extincta jam hæc humanitatis ſtudia apud tuos cives cum patre noſtro eſſe videntur; ego me ipſum tibi objiciam: qui ſi minus fortaſſe in dicendo gratus ero, nec paternam eloquentiam redolere videbor; at ſaltem habebis quo cum abſens loqui, & ingenium tuum exercere poſſis. Id ut perficias, te magnoperè tuâ causâ moneo; nihil enim erit, quod vel ſtudiis tuis in his perturbationibus utilius, vel mihi in moleſtiis meis jucundius afferre poſſis. Vale, & me uxori tuæ commenda, infantem oſculare.

EX

EX PLUTARCHO

De liberis educandis, & de procreatione liberorum.

QUi natorum illuſtrium parer eſſe optat, vilibus, aut abjectis mulieribus non ſe immiſceat. *De vitæ inſtitutione.* Concurrere oportet naturam, diſciplinam, & exercitationem; cæca enim erit ſine diſciplina natura, abſque natura manca erit res diſciplina: imperfectum quoddam extat, ſi ambobus his careat exercitatio. *De educatione.* Matres educent liberos, eiſque ubera porrigant: aut ſaltem alumnæ, & nutrices non viles, aut adventitiæ, ſed quàm maximè idoneæ, & probæ ſuſcipiantur, moribus inſtructæ, ingeniiſque: non turpes fabulas infantibus narrent, non eorum animos corruptis moribus, aut ſtultitiâ imbuant. Adhibeantur etiam adoleſcentuli bonis inſtructi moribus, qui nutrientibus conveniant, qui linguâ ſint expeditâ, qui geſtu corporis, ac greſſu denique, & omni motu venuſto, atque modeſto ſint. *De Pædagogia.* Non mancipiis, aut barbaris, aut perfidis, vel inconſtantibus tradantur; ſed his, qui & dicendi, & faciendi pariter ductores pueris, & magiſtri eſſe poſſint. *De Eruditione.* Adhibeantur præceptores, quorum vita nullis obnoxia criminibus, irreprehenſi mores, & optimum experimentum ſit. Eſt autem incorruptæ, ac ſalubri alicui diſciplinæ inſiſtendum. Abducantur liberi à popularibus, & laudativis nugis. Cavendum eſt, ne pueri ex tempore loquantur, ſed præmeditatè omnia; cum verò eloquendi vires radices egerint, tum ubi tempus exiget, facultas eis orandi non deerit. Evitandum autem erit, ut theatralis, ac tragica, ita & depreſſa, ac humilis dicendi ratio. Multa ſunt ab adoleſcente quaſi guſtus gratiâ in tranſcurſu perdiſcenda. Præferenda eſt tamen cunctis diſciplinis Philoſophia: hi perfecti erunt homines, qui civiles actiones cum Philoſophia commiſcere ſcient. Pro adipiſcendis antiquorum codicibus non parum ſint diligentes. *De agilitate corporis.* Corporis certamina contemnenda non ſunt; ſed ad id, quantum ſatis erit, præceptores elaborent, ut & apta quædam corporis habitudo, & firmitas acquiratur. Militaribus certaminibus exerceri convenit, ut in jaciendis haſtis, tractandis arcubus, venationi-

tionibuſque magnoperè contendant. *Qualiter ad honeſta incitandi ſint pueri*. Non plagis, aut verberibus, ſed monitis, ac rationibus pueros ad honeſta exercitia duci oportet; majorem enim his, ſi liberales ſint, commoditatem laudes, ac vituperia, quàm verbera ferunt: mixtim tamen, & alternis utendum eſt objurgationibus, & laudibus. Super omnia puerorum memoria exercenda, conſueſcendaque; ſed à verborum turpitudine retrahendi ſunt pueri. Sine mollitie degenda vita: continenda lingua: ira ſupprimenda: manus continendæ. Aſſuefiant pueri vera loqui. *De adoleſcentium inſtructione*. Adoleſcentes ad modeſtiam inſtruantur minis, precibus, conſiliis, pollicitationibus, exemplis vituperii, aut laudis. Segregentur à conſortio flagitioſorum, ac præſertim aſſentatorum. Non ſint tamen parentes omnino aſperi, ſed veniam interdum concedant de præteritis; & ſi quando irâ exarſerint, citò animum deponant: aliquando etiam diſſimulent ſe non noviſſe crimina filiorum. Qui libidini ſuccumbunt, ut incorrigibiles videantur, ſtatim matrimonio copulentur, hoc eſt deſponſentur. Patres ante omnia ſe filiis exemplar virtutis præbeant, non ſolùm non peccando, ſed etiam honeſtiſſima quæque peragendo. Omnia pro rerum convenientia perficiantur.

FINIS.

73029

IN-

INDEX

OPUSCULORUM

GASPARINI BARZIZII

Quæ hoc volumine continentur.

De compositione. pag. 1
Ad Alexandrum V. Oratio. 15
Ad Fantinum Dandulum Prætorem Patavii. 18
Pro novo Rectore creando Patavinæ Universitatis. 20
Pro accipiente insignia Doctoratus. 22
In funere Jacobi de Turre Foroliviensis. 23
Ad Ferdinandum Aragoniæ Regem. 27
Ad Jacobum Regem Siciliæ citra 30
Ad Janum Cypri Regem. 33
Ad Philippum Mariam Vicecomitem Mediolani Ducem. 36
De laudibus Philosophiæ. 40
De laudibus B. Francisci. 45
Pro accipiente insignia Doctoratus. 50
De laudibus Philosophiæ. 53
De laudibus Philosophiæ. 55
Ad Franciscum Barbavariam in funere Zamini Riccii. 57
Ad Philippum Mariam Vicecomitem Mediolani Ducem. 59
Pro assumente insignia Rectoratus in Gymnasio Patavino. 62
Pro petente insignia in Jure Canonico. 64
Pro Daniele Birago in petitione insignium. 66
In tradendis insignibus Lucæ Bondelmonti. 69
De laudibus Medicinæ. 72
In instauratione studiorum. 73
Ad Martinum Quintum. 76
Ad eundem pro Oratoribus Papiensis Gymnasii. 80
Ad eundem pro Oratoribus Patavini Gymnasii. 82

Ad Petrum Marcellum Epiſ. Patavinum in morte Hieronymi Marcelli. 85
Philippo Mariæ Vicecomiti Mediolani Duci ſupplex libellus. 88

Ejuſdem Epiſtolæ Familiares.

Joanni, & Lazarino Reſtis. pag. 93
Lazarino Reſtæ. 95
Eliſabethæ Romanorum Reginæ. 96
Joanni Alliardo. 98
Joanni Barzizio. 100
Joanni Alliardo, & Zebedæo de Ponte. 101
Franciſco Zabarellæ Epiſ. Florent. 103
Joanni Barzizio. 106
Antonio Cermiſono. ibi
Franciſco Zabarellæ Epiſ. Florent. 108
Danieli Victurio. 110
Lazarino Reſtæ. 111
Eidem. ibi
Andreæ Juliano. 112
Danieli Victurio. 113
Lazarino Reſtæ. ibi
Ludovico Bonifacio. 114
Fratri Proſdocimo. 115
Facino Ventrariæ. 116
Nicolao Barzizio. ibi
Ludovico Bonifacio. 118
Chriſtophoro, & Nicolao Barzizis. 120
Joanni Viſſo. 121
Baldo, & Joanni Suardis. 122
Franciſco Zabarellæ Cardinali. ibi
Andreæ Barbatiæ. 124
Eidem. 125
Eidem. 126
Jacobo Iſolano. 127
Reformatoribus ſtudii Bononienſis. 128
Joanni Barzizio. 129

Facino Ventrariæ. 130
Joanni Barzizio. ibi
Francisco Zabarellæ Cardinali. 131
Lazarino Restæ. 133
Antonio Fantaxello. 134
Eidem. 135
Henrico Veronensi. 136
Francisco Zabarellæ Cardinali. 137
Antonio Fantaxello. 138
Eidem. 139
Francisco Zabarellæ Cardinali. 140
Danieli Victurio, & Valerio Marcello. 141
Marco Lippomano. 144
Valerio Marcello. 145
Francisco Barbaro. 146
Luchinæ ex Marchionibus Malaspinis. 147
Francisco Zabarellæ Cardinali. 148
Nicolao Barzizio. 149
Philippo Mariæ Vicecomiti Mediolani Duci. 151
Federico Cornelio. 153
Carolo Senoni. 154
Francisco Zabarellæ Cardinali. 155
Eidem. 159
Joanni Barzizio. 161
Francisco Zabarellæ Cardinali. 162
Eidem. 164
Andreæ Juliano. 165
Danieli Victurio. 166
Andreæ Juliano. 169
Eidem. 170
Danieli Victurio 172
Eidem. 175
Andreæ Juliano. 176
Danieli Victurio. ibi
Danieli Victurio, & Andreæ Juliano. 177
Andreæ Juliano. 178

Zachariæ Barbaro. 179
Eidem. ibi
Franciſco Bicharano 180
Henrico Veronenſi. 181
Laurentio Bonzio. 183
Eidem. 184
Joanni Barzizio. 185
Valerio Marcello. 186
Laurentio Bonzio. 188
Maphæo Paulo. 189
Antonio Fantaxello. 190
Petro Thomaſio. 191
Antonio Fantaxello. 192
Franciſco Barbaro. ibi
Facino Ventrariæ. 193
Hieronymo Anzelerio. 194
Stephano Theutonico. ibi
Petro Thomaſio 195
Andreæ Juliano. 196
Eidem. 198
Paulo Grammatico Ferrarienſi. 199
Danieli Victurio. ibi
Andreæ Juliano. 200
Eidem. ibi
Simoni Morigiæ. 201
Eidem. 202
Joanni Cauco. 204
Danieli Victurio. 205
Thomæ Dandulo. 206
Andreæ Juliano. 207
Danieli Victurio. 208
Joanni Cornelio. 209
Andreæ Juliano. 210
Facino Ventrariæ. ibi
Franciſco Barbaro. 211
Federico Parmenſi. 212

Lauren-

Laurentio Bonzio. 213
Zanino Riccio. 214
Gerardo Landriano Laudenſi Epiſ. 215
Franciſco Boſſio Novocomenſi Epiſ. 216
Guiniforto, & Auguſtino Barziziis. 219

Ejuſdem Epiſtolæ ad exercitationem CLXV. à pag. 220. uſque ad finem primæ partis.

INDEX

OPUSCULORUM

GUINIFORTI BARZIZII

Quæ hoc volumine continentur.

IN ſponſalibus Philippi Bonromei Oratio. pag. 1
In ſponſalibus Joannis de Federicis. 7
Ad Philippum Mariam Vicecomitem ſupplex libellus. 10
In inſtauratione Studiorum Mediolani. 16
In inſtauratione Studiorum Novariæ. 17
Ad Alphonſum Aragoniæ Regem. 19
Ad Joannem Regem Navarræ. 23
In inſtauratione Sudiorum Mediolani. 24
Ad Eugenium Quartum. 31
Ad Joannem Jacobum Paleologum Montisferrati Marchionem. 33
Ad Nicolaum Quintum. 39
Ad Ludovicum Ducem Sabaudiæ. 41
Ad Eundem. 45
Ad Pium Secundum. 57

Ejuſ-

Ejuſdem Epiſtolæ Familiares.

Bartholomæo Vicecomiti Epiſ. Novarienſi de illuſtribus rebus Alphonſi Regis. pag. 63

Ad Jacobum de Abiate Ducalem Camerarium Epiſ. in Commentarios in Dantem. 76

Dalmatio Ceſareæ Auguſtæ Archiepiſ. 85

Joanni Olcinæ. 87

Corradino Vicomercato. 88

Stephano Cacciæ. 89

Eidem. 91

Joanni Regi Caſtellæ. 92

Chriſtophoro Barzizio. 104

Bartholomæo Vicecomiti Epiſc. Novarienſi. 105

Joanni Auguſtino Barzizio. ibi

Joanni Olcinæ. 106

Henrico Infanti Aragoniæ. 109

Joanni Auguſtino, & Chriſtophoro Barziziis. 113

Guidoni de Gonzaga. 119

Pachino Peruſino. 120

Georgio Cathalæ. 121

Franciſco Scitigles. 122

Joanni Jacobo Montisferrati Marchioni. 132

Conſtantiæ Varanæ. 134

Jacobello Malabarbæ. 137

Conſtantiæ Varanæ. 142

Galeotto Beaquæ. 143

Pio Secundo Pontifici. 144

Raphaeli Caimo. 150

Jacobello Malabarbæ. 151

Joanni Auguſtino Barzizio. 153

Pantaleoni Suardo. 154

Galeotto Beaquæ. 155

Chriſtophoro Barzizio. 156

Michaeli Barzizio. 159

Lucino Fruſio. 161

Zacha-

Zachariæ Rido. 162
Roderico Falcono. 163
Jacobo Caſino. 165
Simoni Origono. 170
Ludovico Crotto. 171
Simoni Origono. 172
Raymundo de Marliano. 173
Ex Plutarcho de liberis educandis, & de procreatione liberorum. 175

ERRATA SIC CORRIGITO.

Pag. 2. partis primæ linea 7. *ſubjiciatnr* lege ſubjiciatur. P. 4. l. 6. *nt* lege ut. P. 24. l. 11. *Ippocras* lege Hippocrates. P. 29. in notis *mss* lege ms. P. 32. in notis *Marchæ* lege Marchiæ. P. 34. in notis *mss* lege ms. P. 35. in notis *mss* lege ms. P. 53. l. 27. *Nicomacum* lege Nicomachum. P. 75. l. 34. *aliis* lege alii. P. 207. l. 28. *occupationibas* lege occupationibus. Pag. 263. l. 15. *partum* lege patrum. P. 328. l. 31. *relicturam* lege relicturum.

Pag. 64. partis 2. linea 21. *doce* lege docet. P. 72. l. 23. *inguem* lege inguen. P. 81. l. 10. *conjecter* lege conjectem. P. 86. l. 34. *potius* lege poſitus. Pag. 91. in Epiſt. titulo *Conciſtoriali* lege Conſiſtoriali. P. eadem l. 19. *præſagum* lege præſagus. P. 406. lege 106.

REGE-

REGESTUM.

* a b c d e A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt

a b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t u x y z z3

ROMÆ M.DCC.XXIII.
Apud Jo: MARIAM SALVIONI Typographum VATICANUM

SUPERIORUM PERMISSU.